





Opuscula Medica
1553









Cyll 9???

3398/A
3623 3624

A. XXIX

Lacuna etc 1st Writer
of the 2nd + 3rd books in this Vol.

L'Art Ancien
Lugano
90 Sw fr
April /28

34
B4

I. 40 leaves

II. 24 "

III. 24 " , last blank.

3 works

INCERTI AVTHORIS
BREVIS ELVCVBRATIO NVPER INVENTA,

DE HIS MORBIS, A QVIBVS HVMANA CORPORA INFE= STARI, CORRVMPIQVE SOLITA SVNT.



CVM PRIVILEGIO.




VENETIIS APVD GABRIELEM IOLITVM DE FERRARIIS ET FRATRES M D LIII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



D.CLAVDIO MARESCOTO ET ILLVSTRI PIETATE, ET DOCTRINA VIRO AC DIVI BARTHOLOMÆI APVD RHODIGINOS ABBATI DIGNISSIMO.





VPERIORE *Anno cum Mediolani eſſem ; eumq́; Vrbis locum frequens inuiſerem, in quem defferri ſolent, qui ægrotantes coguntur alienis opibus ſuos caſus ſuſtentare ; incidi in multos, qui Apoplectici, Auriginoſi, Anorectici, Diſſentericiq́; eſſent ; multos etiam uidi Tettanicos, Veternoſos, Verrucoſos, Lyentericos, & Polypoſos ; ingemui ego tum duram. Mortalium conditionem ; nihilq́; homine fragilius, & calamitoſius eſſe mecum ipſe iudicans, luſtrare cæpi ea loca paulo etiam diligentius : uixq́; duobus aut tribus ſpacijs factis, offendo mox nonnullos grauiter laborantes Mentagra, Podagra ; Impetigine. Glaucomate, Lepra, Hidropi, & Porrigine. Forte fortuna illic aderat Medicus homo Tranſalpinus(quantum ex oris habitu, ac pronunciatione diſpicere potui)qui cum mihi*


uisus esset nec insulsus, nec indoctus, cæpi illum de unoquoque morbo curiose, ut soleo, percunctari. ad quæ cum (meo quidem iudicio) non inepte respondisset, domum reuersus existimaui non alienum me facturum si quæ ego curiose rogauissem; ille uerò acute respondisset, cartis mandassem; non quòd eiusmodi esse uiderentur, ut medicinæ studiosos multum possent adiuuare (nullam enim habent Methodum) sed ut hoc nouo scribendi genere iuuentutem ad medicinæ studia paulatim allicerem, discerentq́; adolescentes qui nam hi morbi essent, de quibus apud Poetas tam crebro mentio fieret: adieci postea nonnulla alia scitu non indigna, quo stilum exercerem omnemq́; sermonem breui Medicinæ Encomio conclusi: hunc tibi, tuoq́; nomini libenti animo dono do; dicoq́;. fruere tu hisce paruis laboribus unà cum tuo Mario Mattasillano Iuuene pererudito, si quid ocij nactus eris ab illis grauioribus negotijs quibus iam multos annos distineri consueuisti. Vale; & me, quod facis, ama.

INCERTI AVTHORIS BREVIS ELVCVBRATIO NVPER INVENTA, DE HIS MORBIS, A' QVIBVS HVMANA CORPORA INFESTARI; CORRVMPIQVE SOLITA SVNT.



DE APOSTEMATE.

Hortensius, & Marullus Medicus.



H. QVID est (obsecro) Doctißime Marulle, morbus ille, quem uos medici Græco uocabulo APOSTEMA appellatis? M. Est ille quidem si forte nescis, carnis, uenæ, arteriæ, musculiq; interitus; & (ut ita dixerim) corruptio quædam, quod sanè APOSTEMA ipso initio rubro colore uisitur; & prædurum sentitur, uerùm cum paulatim maturuerit, multam eijcit saniem. H. Ita profectò esse credo. atqui postquam tam belle ab ste mihi satisfactum uideo; pergas (uelim) de reliquis morbis pari breuitate

mecum agere; nihil enim iocundius, hoc præsertim tempore afferri mihi potest: Sum enim satis (ut uides) ociosus.

DE ATROPHIA.

H. Quid parit, efficit'ue ATROPHIA? M. Solet hic morbus, maciem quàmplurimam coaceruare, & aggregare, obstareq; ne corpus nutriatur. sed quid enim maciem non facile contraheret; multa cum decedant; nihilq; quod opportunum sit, enascatur? H. Cauebo mihi igitur ne talis obrepat morbus. M. Recte feceris, si diligenter caueris; ego ipse quoque caueto (quoad fieri poterit) ne aliquando in Atrophiam incidam.

DE ACROCORDONE.

H. Quid esse putas ACROCORDONA? M. dixerim ego; Vlcus esse uerrucis simile; coit enim tum sub ipsa cute nescio quid asperum, et ualde durum. H. Dij talem auertite pestem. M. optime precaris mi Hortensi; & ego quoque ne mihi tam dura accidat ægritudo non solùm diligenter prospiciam; sed Deos, Deasq; omnes comprecari nullo unquam tempore non desinam.

DE ANOREXIA.

H. Quid est ANOREXIA? M. est morbus; quo affecti qui sunt, Cibos aspernantur: pelli tamen solet is morbus, si acetum, resq; acutas male affectus olfecerit. H. Ita futurum suspicor: experimento itaq; si contingat aliquando, et comprobabo. perge tu modo alia morborum genera diffinire: nihil enim auidius expeto.

DE ANCVRISMATE.

H. Quid tu suspicaris esse Ancvrisma? M. Nihil aliud est Ancurisma; quàm tumor quidam præclusarum arteriarum. H. Vnde nam trahit suam originem praua hæc affectio? M. E' sanguine, ipsoq; spiritu simul iuncto; sed ad alia cursim pergas, siquid est quod scire optes. H. Multa mehercule in mentem ueniunt, quæ nullo modo ignorata uelim: sed metuo ne tibi nimis molestus sim.

DE AMPHIMERINOME.

H. Quid est Amphimerinon? M. quid obsecro aliud, nisi febris quotidiana ex corruptis humoribus, imprimisq; ex pituita coalescens? H. Sic profectò, & ego semper suspicatus sum, quanquã in hisce uestris medicinæ studijs nunquam uel rarò me exercuerim.

DE ARGEMATE.

H. Quid est Argema? M. Prisci dixere Medici, Argema esse cum oculorum circulus afficitur ab ulcere. Hunc alij Irim, alij uerò Glaucoma appellarunt. Latini Albuginem dixere: fitq; quando ex pusilla plaga præfactis uenis, sanguis toti suffunditur oculo; paulatimq; niger efficitur.

DE APOPHTOSI.

H. Quid est Apophtosis? M. Magnus est palpebrarum pruritus, piliq; tum ubertim defluunt: Palpebrarum etiam hæc solent esse uitia, nempe Diabrosis, Distochiasis, & Phtiriasis. H. Hui quàm misera est mortalium conditio, postquam ipsæ quoq; palpebræ, humani corporis tam pusilla pars, tam miseris afficiuntur modis.

DE ALBVGINE.

H. Quid est ALBVGO? M. Est macula in oculo à colore subalbo sic dicta & ex glutinosa pituita emanans. Plinius, cum de re quadam mentionem faceret, in qua uirtutis plurimum esset, sic inquit, HAC ALLIGATA, OCVLI ALBVGINES MOX TOLLVNTVR.

DE ANGINA.

H. Dic (queso) etiam aliquid de ANGINA. M. Dicā, hunc morbū inter acutißimos antiquiores recensuere. Hæc. n. fauces occupat; strangulatq;. multi Tonsillas appellarunt; at ab Hippocrate simul et à Galeno Synanche dicitur, Etymo ab ango uerbo deduto; quod hominem maxime angat, & affligeti. Plautus huius morbi uim sic explicuit. VELLEM ME IN ANGINAM VERTI, VT HVIC ANICVLAE FAVCES PRAEOCVPAREM. Si quis tibi in futurū occurrat, quem Angina corripuerit; memineris nullum esse morbū, qui tam præceps requirat auxiliū; itaq; statim cubiti exteriorem Venam ab eodem latere pertundes; tegesq; collum, lana oleo calido inspersa. Fit uerò Angina cum nec tumor, nec ullus rubor existit; sed tamen arescit corpus; uixq; spiritus attrahitur. Aretheus prestanti ingenio medicus tradidit hoc morbi genus, ex algore, algidaq; potione creari solitum: Anginæ autem tria existere genera; nempe Synanchen, Cynanchen, & Parasynanchen. Testatur Iulius Modestinus (si uera Macrobius refert) Angeronæ Deæ olim pie admodum sacrificatum fuisse, quòd Popu=

paul. Æg lib. 3. cap. 27

lus Romanus isto morbo grauiter afflictus, factis solenniter uotis liberatus fuerit.

DE ARTHITRIDE.

H. Quid est ARTHITRIS? M. Non aliud est, quàm articulorum praua quædam affectio: uti, Pleuritis est costarum, & Nephritis solet esse Renum. Hoc morbo grauiter conflictatum ferunt Carolum Pannoniæ Regem, uirum multis modis illustrem & preclarum. paul. lib. 3.

DE ALOPECIA.

H. Quid(amabo)est ALOPECIA? M. Est morbus nasci solitus in capite humano, quiq; ex uitiosis humoribus prouenit; ab ipsa uulpe sic appellatus, quam Græci Alopeca uocant: Crebro enim hoc morbo uulpes afficitur. Docet Plinius quo pacto emendari queat tam fœda ægritudo, nempe radice quadam ambusta tritaq;, cuti imposita. paul. cap. 1.

DE AVRIGINE.

H. Qui morbus est AVRIGO? M. Est is morbus quem multi Regium appellarunt, ab auri colore nomen trahens; quē bilis per uniuersum corpus effusa perbelle repræsentat: qui isto laborant morbo, Auriginosi uocantur ab ijs, qui nunc latine loquuntur.

DE ARQVATO.

H. Vnde nam dictus est morbus ARQVATVS? M. à colorum uarietate, qui in cælesti arcu uisuntur, sic appellatus est; hos enim præclare solet affectorum facies reddere. Traditum est à Plinio Arquatum, Ictericum, & Regium eundem planè morbum esse; & Ictericum fuisse ab icterone aut sic dictum,

nos Galgulum appellamus. Huius morbi uim Lucretius Poeta insignis diuinitus (meo quidem iudicio) expreßit.

DE ALPHONE.

H. Quid ALPHON? M. Qualis hic morbus sit, fateor me nescire; hoc tamen certò scio esse quendam morbum, quo, (ut Plutarchus refert) quamuis Atossa Artaxersis filia grauiter correpta esset; nihilominus pater illam matrimonio sibi iunxit, caramq; semper habuit.

DE APOPLEXI.

H. Quem dixere morbum APOPLEXIM? M. Veteres repentinam consternationem esse crediderunt; & eo morbo laborantes, apopleticos uocarunt. Si hæc tantum in aliqua corporis parte accidat, Hemiplagiam uocabis. Latini appellarunt hunc morbum stuporem. Scriptum est à Galeno; in eiusmodi morbo, totum corpus, cum sensu, tum motu priuari; tantumq; superesse anhelitum, qui si tamen cohibeatur, maxima profectò periculiq; plena fieret Apoplexis: accidit etiam hic morbus ictu fulminis; interdum alia causa solet contingere. Patientibus autem exhibeatur mollis uictus, & qui facile distribui poßit: affiganturq; cucurbitulæ Hippocondrijs, & irrigetur caput oleo rutaceo.

DE AMAVROSI.

H. Qualis ægritudo est AMAVROSIS? M. Est ægritudo oculorum aciem maxime lædens, incolumi tamen saluaq; pupilla, pauxillumq; doloris inferre consueuit ijs, qui sic affecti sunt.

DE APHTIS.

H. Quid morbi censes esse APHTAS? M. Censent Antiquiores Medici esse ea ulcera, quæ oris superficiem maxime lædunt: quæ nunc albæ, nunc subrubræ conspiciuntur, habentq́; igneæ caliditatis quàm plurimum. H. Est ne is morbus, quem Barbari Alcolam nominant? M. Sic puto. H. qui uerò solent huic morbo maxime obnoxij esse? M. Infantes lactentesq́; pueri, idq́; accidit si nutricis lac uitiosum fuerit; aut infans lac ipsum non bene concoxerit. Memini me id morbi etiā uidisse in ijs hominibus, qui prouectiore ætate essent. M. Fieri fortasse potest ob uitiosos humores ad os diffluentes. H. qua ratione curari possunt infantes? M. Si moderate adstringentia exhibeantur; adultos uerò uenæ humeralis sectione facile curaueris.

DE ASTHMATE.

H. Quos uocāt Græci ASTHMATICOS? M. eos nēpe: qui sine febre crebro respirant, ueluti solent qui celeriore cursu defatigati sunt. H. Nos uerò Latini quo solemus uti uocabulo, dum hos uolumus indicare? M. Anhelosos ac suspiriosos uocitamus: Sæpe etiam Orthopnoicos appellamus; propterea quòd Thoracis corpus rectum habere cogantur metuentes ne suffocentur. H. Quo modo autem gignitur Asthma? M. Fit Asthma, cum aut Crassorum humorum, aut uiscosorum ingens copia pulmonis bronchijs infarcta fuerit: magno etiam cum negotio spirare consueuerunt, qui asperam arteriam multa distillatione refertam habent. H. Qualis &

erit hominum uictus? M. Calidus & siccus, uitandusq; illis fuerit aër frigidus, atque humidus. H. Vtendum igitur carnibus Perdicum; auicularum montanarum, gallinarum, caponum, & similium: Fugiendi etiam erunt pisces, fructus, legumina; eaq; omnia, quæ crassos & glutinosos humores procreare solita sunt. M. Recte dicis mi Hortensi: sed adde etiam (si placet) frequenter utendum esse, Hisopo, Oreosclino, & Fœniculo; Vinumq; potandum quod tenuis substantiæ sit.

DE ANI RIMIS.

H. Audio de multis fide dignis in hisce ædibus adesse quàmplurimos, qui anum male affectum habeant. explica igitur (si nō graue tibi ducis) quæ affectiones anum consequi soleant. M. dicam quidquid super hac re in mentem mihi uenerit. Visuntur quàm sæpißime quædam Rimæ Sedis, quas Græci Ragadas uocant; & ut planius tecum agam, Sunt Scissuræ in musculo anum claudente; aut in extrema ani Corona; non ijs dißimiles, quæ in labijs à Borreæ asperiore flatu accidere consueuerunt. H. Sed quid in causa est ut illæ scissuræ fiant? M. Acrium humorum defluxus. H. qua ratione curandi erunt? M. dicam; necesse erit, ut quàmoptime purgentur; deinde illinere soleo scissuras Vnguento candido Caphurato. non ad uiuum omnia, mi Hortensi, nunc reseco, siquidem, hic ego medicum non instituo, neq; profiteor tanti me esse, ut medendi artem poßim tradere: tantum tecum familiariter ago, cum, ut tibi, homini (ut mihi quidem uidetur) perhumano

satisfaciam, tum etiam, ut quæ olim didici, in memoria mihi ipsi redigam.

DE BVLIMO.

H. Quando quis BVLIMVM sentit? M. Cum stomachus à fame labefactatur, paulatimq; adeò frigore corripitur; ut extremæ partes omni prorsus calore destituantur. H. Qui solet curari Bulimus? M. aceti, panisq; calidi olfactu: facile etiam curationem recepit; si gelida ipsa corporis extrema colluantur: sunt etiam qui affirment Pulegij olfactu maxime recreari posse.

DE BRANCHO.

H. Quid etiam BRANCHVS? M. Est Branchus Catarrhi species guttur maxime arripiens; arteriarumq; asperitate fauces imprimis grauiter lædens.

DE BVBONOCELE.

H. Non intelligo quid sit BVBONOCELE? M. Est quando intestinum ad inguen usque erumpit; illicq; non ultra progrediens decumbit; & facile residet.

DE BATRACHO.

H. Quid uocas BATRACVM? M. Tumorem sub lingua; qui sanè pueros maxime tentare consueuit.

DE CANINO APPETITV.

H. Qui nam hi sunt, qui CANINVM APPETITVM habere existimantur? M. Hi sunt, qui per ciborum multam copiam, sic appetunt, ut edendi appetentiam cohibere non possint. in ingerendis enim cibis omnem excedunt modum, nullamq; seruant mediocritatem. H. Sed (obsecro) cur Caninus dictus? an quòd de more Canum Saturi facti sæpe reuertantur ad

uomitum? M. Sic opinor. H. Sed cur talis fit appetitio? An à frigida uentriculi temperie, uel ab accidis humoribus os uentris irritantibus? M. Recte putas. H. Verùm unde frigida uentriculi temperies dignoſcitur? an à deprauata concoctione, inflatione, fluctuatione, murmure, ac egeſtione? M. Rem tenes. H. Cuiuſmodi panis his hominibus exhibebitur? M. Nec recens, nec bene fermentatus. H. qui Cibi? M. Pingues, & oleos. H. Quæ ſorbitiones his proderunt? M. Hæ nempe quibus mel oleum, gallinaceus adeps, & butyrum iniectum fuerit. H. Quibus ueſcetur oleribus? M. malua, quæ certe ualde eis proderit. H. Cedò quod uini genus illi propinabis? M. quod ſit colore fuluo, ſubſtantia tenuè, quod ſit odoratum nullaq; adſtringendi ui præditũ: eiuſmodi enim uina uentriculum calfaciunt, humorumq; perdunt & deſtruunt acorem, adeò, ut ſæpe per ſe ſuffecerit ad perfectam curationem una cum pinguibus oleoſisq; edulijs.

DE CHOLERA.

H. Quid CHOLERA? eadem.n.uox eſt cũ Græcis uſurpata, tum Latinis. M. Eſt bilioſus uomitus, nidoroſus et accidus diutius perſtans, quò ſane tempore uenter etiam inferne eadem ſimul excernit. H. Vnde exoritur? M. À multa cruditate, quæ ſæpenumero ex inſigni alimentorum prauitate uitioſorumq; humorum copia originem trahit: huic certe morbo, nulla interpoſita mora ſuccurendum ſtatuo: eſt enim acutiſsimus morbus, grauiſsimamq; Syncopim, ſi diutius perſeueret, facile inducit.

DE COLI DOLORIBVS.

H. Et hanc quæso partem ne intactam relinquito, sum enim huic morbo obnoxius, atq; haud scio qua ratione aduersus eius morbi uim tueri me poßim. M. Præbe igitur attentum animum. Dolor, qui in laxiore intestino, quod Colon appellant, suboritur, multis sanè de causis accidere solitus est: primum quidem propter crassos & pituitosos humores intra Coli 'ipsius membranulas residentes: Sæpe etiam propter Flatulentos spiritus, quibus nullus patet exitus. accidit etiam ut inflammatio intestinum torqueat, maleq; habeat: adsunt etiam sæpenumero acres & erodentes humores, qui intestinum infestant; & duriter affligunt. H. Postquam intellexi causas, è quibus tam acerbus dolor oriri consueuit, facile posthac cauebo, ne amplius obrepat. perge ad reliqua pertractanda: sum enim tui audiendi multo auidior, quàm dudum fuerim. M. pergam, sequere tu.

DE CANCRO.

H. Quid est CANCER? M. Est morbus, qui in omnibus ferè corporis partibus nasci consueuit, præsertim autem in earum fœminarum mammillis, quæ naturali menstruo non belle expurgantur. Ouidius sic eius morbi meminit. VT MALVM LATE SOLET IMMEDICABILE CANCER SERPERE; ET ILLAESAS VITIATIS ADDERE PARTES. Cato etiam de Re Rustica de Braßica loquens, sic scribit. EADEM BRASSICA VVLNERA PVTRIDA CANCROSQVE

PVRGABIT. *Sunt qui putent Cancrum differre ab Elephantiaſi; quod Cancer unum tantum inuadat membrum. Elephantiaſis uerò uniuerſum depaſcatur corpus.*

DE CARBVNCVLO.

H. *At* CARBVNCVLVS *unde prouenit?* M. *Ex uehementis inflamatione, eminentq́; ſuper eo puſtulæ quædam nigræ, interdum æedem ſubliuidæ; aut pallidulæ cernuntur: in quibus etiam ſanies exiſtit.* Hunc morbum Græci Anthracem uocarunt. Plinius *libro* XXVI. *ſcriptum reliquit Carbunculum in* Italia *primum extitiſſe,* L. Paulo; & Q. Martio Cenſoribus, *eſſeq́; peculiare* Narbonenſis Galliæ *uitium.*

DE CARCINOMATE.

H. Quem *tu morbum credis eſſe* CARCINOMA? M. Non *deſunt qui putent idem eſſe cum* Cancro, & *tantum in hoc differre, quòd ſuperiores partes in primis occupet; ueluti nares, & aures.* Cato *uerè exiſtimat braßica trita ſanari facillime poſſe.* Hoc *morbo diu afflictata eſt* Galla *uidua* Romana Symachi *uiri* Patricij *filia fœminarũ præſtantißima.*

DE CEPHALAEA.

H. Dic *(ſi lubet) quid eſt* CEPHALAEA? M. Eſt *diuturnus capitis dolor* Cephalea: Barbari Sodam *appellant: accidit autem quàm ſæpißime ex humorum magna copia. nec te lateat uelim oboriri capitis dolorem uel à* Pituitoſis *humoribus, uel à* Bilioſis, *uel ex plenitudine, interdum à ſiccitate, interdum à* Frigore; *ſæpe etiam à calore.*

DE COR-

DE CORDAPSO.

H. Narra nunc de CORDAPSO. M. Narro lubens, dicoq; esse morbum tenuioris intestini, quem Recentiores Iliacum appellarunt.

DE CANDILOMATE.

H. Explica quid sit CONDILOMA. M. Tuberculus est, qui nullo modo curationem recipit, nasciq; solet circum podicis coronam; sunt qui affirment prouenire solitum ex nimia inflamatione: in eo apparent eminentes quidam tumores, nunc molles, nunc duriusculi, sfæricæ figuræ. tres autem solent esse Podicis morbi, nempe Rhagadia, Hæmorrhois, & Condyloma: de quibus agam cum plus ocij nactus fuero. H. age (ut lubet) nihil enim opto, quod tuo magno commodo fieri non queat.

DE CHIRAGRA.

H. Quem tu morbum esse putas CHIRAGRAM? M. Si Ethimon consideres, facile dixeris esse manuum morbum, quo sanè morbo quicunq; afficiuntur, Chiragrici uocantur: eius meminit Horatius in hunc sanè modum scribens, NODOSA CORPVS nolis prohibere Chiragra.

DE GHEMOSI.

H. Quid appellas CHEMOSIM? M. Eum nempe oculorum morbum, cum præ nimio tumore sic ambæ adglutinantur palpebræ, ut ne conniuere quidem liceat (etiam si maxime coneris.)

DE CERIO.

H. Perge narrare mihi de CERIO. M. Puto genus Vlceris esse, dictumq; à faui similitudine, quam re-

tinet, Plinius, huius morbi tum præclare meminit, cum inquit RAMORVM FICI TENERI CAVLICVLI VNA CVM MELLE VLCERIBVS, QVAE CERIA VOCANTVR, COMMODE ILLINVNTVR.

DE CIRCOCELE.

H. Volo etiam mihi narres de CIRCOCELE (nisi molestum fuerit.) M. Narro: tunc fit morbus, quando intumescunt uenæ, & Scroton ualde complent, fitq; Testiculorum alter, altero duplo maior.

DE CATHALEPSI.

H. Quid est CATHALEPSIS? M. Medius existit is morbus inter Lethargũ, & Phrenesim: tum enim non abest febris, nec abest melancolicus humor, & qui sic afficiuntur, oculos habent ferè immobiles.

DE CONVVLSIONE.

H. Quæso quãdo meritò dixerit quispiã se CONVVLSIONEM pati? M. Cum nerui, atque musculi ad eundem cogentur affectum, ad quem ab animali facultate, cum naturæ habitum seruarent, duci soliti erant: Græci spasmum uocant: Huic pellendo morbo scito Ptisanæ cremorem esse perutilem, detrahendumq; sanguinem ex cubiti uena media. Sentiet etiam præsentaneum remedium quisquis affectus eo fuerit morbo, si partes quæ conuelluntur, lana irino oleo imbuta, perfricauerit: non desunt etiam præstantes Medici; qui doceant, Conuulsas partes Lupinis pellibus conuestiri debere: quæ si fortè defuerint, Vulpinas capiunt, ijsq; affectas partes probè contegunt.

DE COLVMELLA.

H. Si COLVMELLA inflammetur humorum nimio quodam fluxu; qui potero ego ei morbo opitulari, quare ratione uictus opem feram? M. Vtendum eo uictu fuerit, quo in reliquis inflammationibus uti consueuimus: Scapulis deinde cucurbitulæ affigendæ, aluus Clysteribus subducenda. sic enim profecto fiet, ut non solum exinaniantur; uerùm etiam ut à loco affecto confluentes auertantur humores; nec spernēda erunt præsidia, quæ fluxū cohibeant, cuiusmodi sunt quæ adstringendi facultatem habent. Itaque hac erit meo iuditio collutione utendum: Capiat Succi rosarum, Plantaginis, Prunellæ, Oxalidis, Solani parteis æquales dragmæ ij. Diamoron, Rob de Ribes, parteis æqualeis dragmæ v. Rob ex Oxiacantha, quam Berberim uocant, dragmæ iij. aceti in quo Rhus, hoc est Sumach maceratus fuerit: externe autem proderit spongijs oleo Amigdalino madefactis ac expreßis fouere ceruicem, aut mollis lana oleo imbuta collo erit circumponenda: admouendaq; erunt Cataplasmata ex ordei Farina, Lini semine, aut fœni græci confecta.

DE CACHEXIA.

H. Cuperem etiam ab ste scire (uideo enim quantos progressus in medicinæ studijs habeas) quid sit CACHEXIA. M. Ego Cachexiam malum corporis habitum appello, à quo alimentum corrumpatur. H. Sed quo nam modo accidit? M. Cum ipsum corpus diutina ægritudine attenuatum, ob magnam imbecillitatem, nullo quidem pacto recreari ac reffici potest,

H. Solet ne alia de causa accidere? M. Solet quidem; præsertim si excrementa corporis (plusquam par sit) retineantur.

DE MORBO COMITIALI.

H. Cum hic multi sint COMITIALI MORBO laborantes, dic (obsecro) uires eiusmodi? M. dicam (si potero.) Is morbus, tantam animi consternationem affert, affectumq; adeò de mentis statu dimouet, & alienat; ut uelit, nolit, uenæ palpitent; membra langueant; cogaturq; humi procumbere. unde etiam caducum appellarunt multi. H. Cur Herculeus postea à tã multis est dictus? M. Quòd eo morbo aliquando laborarit Hercules. H. Cur etiam Sacer uocatus? M. Quod illam partem maxime lædat. quæ sacra sit, nempe cerebrum ipsum. H. Quid in causa, quòd etiam Comitialis diceretur? M. Quoniam accidit ut primus Romanorum tali morbo in Comitijs corriperetur. H. Quinam sunt ei morbo imprimis obnoxij? M. Qui præcellenti sunt ingenio; atrabilarijq; existunt: itaq; (non iniuria) hoc morbo afflictus est Plotinus Aegyptius Platonicæ sectæ philosophus: laborauit & Cambyses, Iulius Cæsar, & Liuius Drusus Tribunus plæbis, qui eam ob causam Anticyram proficisci coactus est: non omittam capparis usum mirifice prodesse; obesseq; plurimum, Sinapi, allium, cæpe, meraciusq; uinum.

DE CORIZA.

H. Qualis morbus est CORIZA quid'ue parit? M. Humore quàm plurimo nasum Coriza obstruit. H. Vt

illud morbo appellant Latini? M. Grauedinem (si non fallor) appellant.

DE CYNANCHE.

H. Quando quis dicitur CYNANCHE laborare? M. Quando uox nihil potest exprimere, idq; ob craßiorem Pituitam in ipsas fauces delatam. H. Sed cur sic appellatur? M. Quod ea Canes maxime laborare consueuerint.

DE CORIAGO.

H. Si non molestum est, dic etiam de CORIAGO, aueo enim maxime scire quid sit, qualesúe corporis partes maxime offendat? M. In ipso quidem nostri sermonis initio, constituimus de ijs tantum morbis familiariter agere, à quibus humana male tractantur corpora; at hic morbus Bubuli pecoris esse solet, non hominum. H. Quibus notis deprehendi solet? M. His nempe, si pellis sic tergori adhæreſcat, ut à costis diuelli nequeat. H. Quo autem modo oriri solet hic morbus? M. Si Bos præ languore maciem contraxerit, aut strenue in rustico opere sudans, subitò refrixerit.

DE CRETHE.

H. Quid est ille morbus qui dicitur CRETHE? M. Est Tuberculus palpebræ innaſcens, hordei similitudinem quandam exprimens, unde etiam multi adducti sunt, ut Hordeolum appellarent.

DE CHALAZIA.

H. Cum sæpe inter medicos sermo fiat de CHALAZIA, nolim ego diutius ignorare quid Chalazia sit? M. Morbus est non admodum ei morbo dißimilis,

de quo priùs tam paucis egimus, nempe cum albi coloris tuberculus grandinis speciem habens palpebris multa cum molestia innascitur.

DE COPHOSI.

H. Quid (obsecro) est COPHOSIS? M. Est aurium molestissimus morbus surditatem maxime creans.

DE CIONE.

H. Explica (si me amas) aut à me te amari existimas, quid putes esse CIONEM; siue, ut alij dicunt, Cionidae? M. Existimo ego illum esse morbum, cum caro in faucibus nimium excrescens uocem sic impedit, ut ne hiscere quidem liceat.

DE CALCVLO.

H. Quid est CALCVLVS? M. Est morbus renes maxime lædens. H. Vnde nam prouenit? M. Ab imbecillitate eius facultatis, quæ concoquendi munere defungi (natura) solet. H. Creatur ne in alia corporis parte quàm in renibus? M. Maxime, nempe in Vesica, tumq; Lithiasis appellari consueuit.

DE CARDIACO.

H. Quam (obsecro) corporis partem affligit CARDIACVS? M. Os uentris. accidit uerò Cardiacus cum febre acuta; arteriarumq; crebro motu. H. Qua ratione succurri potest? M. Si flabellum admoueas sæpeq; uentiles. Taceo nunc alia præsidia quæ sanè & multa & leuia sunt.

DE CÆLIACO.

H. Narra de CÆLIACO (si non graue est) M. Narro cum libenter, tum etiam quoad fieri potest breuiter. Scito itaq; Cæliacum dici, cum emollita aluo,

ob imbecillitatem, liquida egeruntur. H. Quid cau ſæ eſſe putas, ut liquida egerantur. M. Frigidus ſuperuacaneusq; cibus, uehemens calor & perpetuum frigus in cauſa ſæpe ſunt.

DE CARO.

H. Quid eſt CAROS? M. Eſt paßio, quam ſequi ſolet priuatio non ſolum ſenſus, ſed & uniuerſæq; motionis; illæſa tamen, & inoffenſa ipſa Spirandi facultate: Arabes Subet appellarunt. his ego qui ſic affecti ſunt, exhibere ſoleo, eam uictus rationē, quam lethargicis etiam exhibeo, parans ea medicamenta, quæ ſtomacum & calfaciant, & ſimul corroborent.

DE DISPNÆA.

H. Quem morbum uocant Medici DISPNAEAM? M. Grauem ac difficilem anhelitum.

DE DIABETE.

H. Velim etiam ab ſte ſcire, quid ſit Diabetes? M. Dicam: eſt morbus renum, qui prauo tetroq; humore congeſto, ſitim affert magnam. H. Qui poteſt eiuſmodi morbus depelli? M. Superuacanei humoris inanitione.

DE DISCOIA.

H. Poſtquam uideo nihil non tibi doctißime magiſter probè notum eſſe, quod ad medendi artem ſpectet, ſignifica (quæſo) quid credas dici apud medicos Diſcoiam. M. Non aliud eſt Diſcoia, quàm audiendi difficultas quædam curatu difficilis, ut ſæpe ſum expertus.

DE DRACONTIO.

H. Loquamur nunc (ſi libet) de DRACONTIO.

M. Per me quidem libeat de quo tu uoles morbo rogitando interpellare. H. Quid est Dracontium? M. est morbus, quo Indij, Egyptijq; maxime affli- ctari solent. H. Quæ uerò membra consueuit in primis dracontium inuadere? M. Musculosiora quæ fuerint, ueluti Guttur, Bracbia, Coxas, & Crura.

DE DYSVRIA.

H. Audio sæpe multos in hisce ædibus de DYSVRIA grauiter conquerentes. Dic igitur quid Dysuria sit? M. est urinæ summa difficultas, supprimitur enim tum urina ab ipsis Vesicæ affectionibus, quæ plurimæ sunt.

DE DIARRHOEA.

H. Quid DIARRHOEA? M. Existimo ego esse copiosum sine ulla exulceratione ullaq; inflammatione alui profluuium. H. Cur Diarrhoea fit? M. Propter imbecillitatem instrumentorum uentris: propter alimenta copiosiora, humidiora, uiscosiora & corrupta; adde etiam ob imbecillitatem retentricis facultatis.

DE DYSENTERIA.

H. Satisfecisti tu mihi quidem peregregie Dysuriam explicans, naua etiam mihi tuam operam in explicando, quid DYSENTERIA sit? M. Facio libens, affirmoq; Dysenteriam esse intestinorum exulcerationem, qua qui laborant, Dysenterici uocitantur. H. Vt Latini ægritudinem hanc appellant? M. Tormina (si non me animus fallit.) H. Vnde nam prouenit? M. Ex cibo qui sit, aut nimium acutus, aut parum concoctus.

DE EPVLI.

H. Quid est EPVLIS? M. Tumor quidam non longe à gemino dente nascens, qui sæpe & cum febre, & cum tam uehementi dolore nos adoritur, ut ne hiscere quidem poßimus.

DE EPHIALTE.

H. EPHIALTES quí nam morbus est? quid'ue in nobis mali efficit? M. Hoc infestati morbo, putant se noctu strangulari; ex eminentiore loco in terram labi, membro aliquo colligari, & uoce paratáq; Venere prohiberi. H. Nihil ne aliud mali parit Ephialtes? M. maxime, nam si inueterascat, Epilepsiam, aut Apoplexiam afferre solet. H. Vnde nam quæso oriri consueuit? M. Ex atra bíle, craßisq; humoribus cerebrum petentibus.

DE ENTEROCELE.

H. Quid ENTEROCELES? M. Est cum intestina ipsa in testiculos defluunt. Meminit huius morbi Martialis Poeta libro decimo: cum inquit, ENTEROCELARVM FERTVR PODALYRIVS HERMES.

DE EPNEVMATOSI.

H. Ne me (quæso) celes docte, & præclare magister, quid sit EPNEVMATOSIS. M. Est uentris inflatio ob pituitosos humores in uapores resolutos. H. Sed unde nam fit istæc resolutio? M. À mediocri calore fieri consueuit.

DE ENCANTHI.

H. Age (precor) quid est ENCANTHIS? M. Morbus est ad oculos maxime spectans; fitq; cum Tu-

berculus oculi angulum sic occupat, ut ægre deduci Palpebræ poßint. H. Qui nam sunt huic morbo maxime obnoxij? M. Nautæ. H. O hominum genus teterrimum, maiorīq; infortunio dignum.

DE EPIALO.

H. Quid est EPIALOS? M. Est species febris ex frigida pituita suboriens.

DE EPIPHORA.

H. Quando dici (iure) potest EPIPHORA? M. Cum humoris alicuius defluxu discrutiātur oculi. H. Qua nam (quæso) ratione ei morbo succurri potest? M. Si Plinius non fallitur, Pepones Epiphoris egregium præstant medicamentum: quanquam Columella uelit Magudarim contusam, Polenta consperſa, ipsum morbum facilius posse supprimere.

DE EPINYCTIDE.

H. Quid est EPINYCTIS? M. Est ulcus, oculorum aciem hebetiorem efficiens. H. Quo modo tollitur? M. Porri sectiui follijs, nec non alio meliore modo (quod ipse nouerim) tolli potest.

DE ECTROPIA.

H. Qui nam morbus est ECTROPIA? M. Est morbus oculorum à Lagophtalmia planè diuersus.

DE EMPHISMATE.

H. Quid est EMPHISMA? M. Est tumor Palpebræ lædens, nō desunt tamen, qui dicant esse spiritus inflationem sub cute, quæ quandoq; in uentre, & quandoq; in interraneis fiat.

DE EPICAVMATE.

H. Quid est EPICAVMA? M. Est sordidum ulcus,

quod cum expurgatur humida ferè omnia quæ intrò sunt, statim effluunt.

DE EMPYEMATE.

H. Vnde nam prouenit EMPYEMA? M. Ex commaculato sanguine, uel ex alicuius uisceris tecto ulcere. H. Sed ad quam partem corporis pertinet? M. Scito Thoracis esse morbum, non aliarum partium (quod ego sciam.)

DE ELEPHANTIA.

H. Qualis morbus est ELEPHANTIA, siue Elephantiasis? M. Morbus est Lepræ haud dißimilis, crebras in summa cute maculas gignens, crebrosq; tumores, rubore tamen paulatim sese in atrum colorem uertente. Hoc morbo quicunque affecti sunt, omnes corporis partes næuulis quibusdam rubris inflatas habent. H. Vnde nam tale nomen tractum putas? M. Ab Elephanto animali, cuius cutis ulcerosis uallibus nescio quomodo exaratur. H. Diu ne est quod hic morbus Italiam peruasit? M. Scriptum reliquit Plinius, morbum hunc in Italia non extitisse ante Gn. Pompeij tēpora. Meminit eius morbi Lucretius libro sui Poematis sexto, sic inquiens EST ELEPHAS MORBVS, QVI PROPTER FLVMINA NILI GIGNITVR ÆGYPTI IN MEDIO, NEQVE PRÆTEREA VSQVAM. Memini etiam Galenum recensuisse Elephantiasim inter pueriles morbos H. Differt ne à lepra? M. Quid ni? cum lepra habeat cutis impetiginem quandam, ueluti scabiem, Elephantiasis uerò, nō tantū cutim, sed neruos, et ossa uitiet, et corrumpat.

DE EROTE.

H. Quid (amabo) est Erotes? M. Morbus est (si quid iudico) ualde melancholicus, nimia amoris abundantia proueniens. H. Quibus remedijs tolli potest? M. Largiore uini compotatione, balneis multis, gratioribus spectaculis, alijsq; iucundissimis rebus, quæ mentem animumq; subtristem à tetris cogitationibus dimoueant, & adducant.

DE FEBRE.

H. Quot putas esse Febrium genera? M. Varia certè. Est enim Cottidiana, quæ Pituitosis accidit. H. Accidit ne alijs? M. Maxime etenim compertum est, accidere etiam pueris, hiemis præsertim tempore, necnon & his, qui prouectiore sunt ætate, idq; uel ob nimium cibum, quem stomacho ingessere, uel ob uitam quã ociose nimis traduxerunt, hæc certam habet periodum. H. Quo nomine solent Græci id genus Febris appellare? M. (si non fallor) Ephimeram appellant. Extat etiam Febris putris. H. Qua nota dignoscitur? M. Expulsu arteriarum inæquali, caloreq; magno, & fumoso accedente H. Quibus remedijs sanari potest? M. Sanguinis missione, humorumq; inanitione. H. An non habemus etiam continuam, quæ nullam patitur intermissionem? M. Quid ni? H. Cupio igitur scire, quo etiam modo acuta Febris dignoscatur? M. Si ægrotantis lingua nigra sit, si excrementa sicca habeat, si uehementem sitim persentiscat, si mens non satis suum faciat officium, & si noctu parum conquiescat. H. Expedi etiam de Tertiana. M. Fa-

ciam libenti animo: est autem Tertiana uno quidem die perstans, & tertio rediens. H. unde nam ducit originem? M. A' Flaua bile. H. Quæ nam est eius uis & natura? M. Horrorem incutere, sitimq; inferre, præsertim in ipso quidem accessus initio. H. Quo potißimum tempore solet nos adoriri? M. Aestiuo. H. Quibus præsidijs curatur? M. Si aluus deijciatur, si urina laceßitur, & si Appij potiuncula propinetur. H. Sed unde (quæso) nascitur quartana Febris? M. A' frigido humore, atraq; bile: hæc calore cedit quidem ipsi tertianæ, ob idq; solita est plærunq; autumno nos aggredi. H. Quo solet præsidio tolli? M. Parciore cibo, tenuiore uino, & albo, tribusq; piperis granis ex aqua frigida sumptis. H. Vnde nam putas esse dictam? M. à feritate, eaq; affecti qui sunt, dicuntur à grammaticis Febrire, Febricitare, & Febricitari. Scribit Plinius perpetuam fuisse Febrem. Gn. Mecenati, cui etiam trienio supremo uitæ suæ nullo horæ momento somnus contingit. Antipater etiam Poeta Sydonius quotannis Natali die Febre corripi solitus erat.

DE FICO.

H. Narra quæ ægritudo sit hæc quæ FICVS appellatur? M. An non cernis in hoc calamitoso homine esse uitium, quod oculis adnascitur, quodq; summa cum difficultate conuelli potest? H. Vnde oritur? M. à nimio pruritu. H. Quas partes in primis solet appetere? M. Eas certe, quæ pilis co. teguntur.

DE FVRVNCVLO.

H. Narra item de FVRVNCVLO? M. Tuberculus est cum inflammatione, & graui dolore, qui tandem in pus uerti consueuerit. En uides hic rusticanum hominem Furunculis plænum. H. Video sanè, eiusq; uicem mirandum in modum doleo.

DE GANGILIO.

H. Quando fit GANGILIVM? M. Cum humor quidam includitur in ipso capite. Fit etiam Gangilium cum neruus quidam contorquetur.

DE GEMVRSA.

H. Quo morbo misellus hic sic grauiter laborat, ut pedibus uix queat consistere? M. GEMVRSA. H. Qualis est hic morbus? nunquam enim memini me legisse de eiusmodi morbo uel apud Galenum, uel apud Hippocratem. M. Fieri quidem potest. Plinius tamen libro uigesimo sexto ait esse morbum inter pedum digitos nascentem, qui sanè morbus curationi minime resistit aut contumax est.

DE GLAVCOMATE.

H. Quem morbum appellas GLAVCOMA? M. Genus morbi est Crystallini humoris in Glaucum humorem permutati.

DE GONORRAEA.

H. Quali morbo est is senex affectus qui à dextra assidet? M. Gonorrhæa, est autem Gonorrhæa emissio seminis minime spontanea. H. Vnde nam prodit? M. Ab imbecillitate. H. Quomodo speras illi posse suppetias ferre? M. Multis quidem modis, sed in primis abstinentia rerum inflantium.

DE CANGRENA.

H. Quid est CANGRENA? M. Est uehemens quædam scabies curatu perdifficilis, præsertim si magnus aliquis tumor membrum afflixerit.

DE HECTICA FEBRE.

H. Quando HECTICAM appellabimus FEBREM? M. Quando calor præter naturam non modo in ipsis spiritibus, & humoribus, sed in solidis etiam partibus consistit. H. Cur Hecticam uocant? M. quod firma ac fixa sit, summaq; cum difficultate soluatur, ut solet habitus. Sunt etiam qui affirment, idcircò Hecticam dici, quòd corporis habitum uniuersum comprehendat. H. Hecticæ uerò febres quo nam modo gignuntur? M. Dicam quanta maiore breuitate potero. Sic enim hactenus consueui: primum magna quidem ex parte, ex ardenti Febre, quæ usque adeo protrahitur, ut temporis diuturnitate contentum humorem absumat. sed de his satis, medicum enim non instituo, sed quæ ad artem spectant tantum leuiter attingo: uereor enim mi Hortensi, ne fortasse artis difficultate perterritus, ab ijs alienere studijs, ad quæ ego te magnopere incensum & inflammatum cupio.

DE HETEROCRANEA.

H. Quid hoc (quæso) morbi est, quandó ue fit? M. Fit cum ipsum caput inæqualiter angitur, atque intumescit, surguntq; ulcera cum rotunda, tum etiam paululum tumefacta.

DE HIDREONE.

H. Quid (obsecro) est HIDREON? M. Est, cum

aqua cutis ſuper modum extenditur.

DE HIDROCEPHALEA.

H. HIDROCEPHALEA *cuiuſnam partis humani corporis eſt morbus?* M. *Capitis, fitq; quoties humor cutim perflat, & membranulas extendit.*

DE HIDROPE, SIVE MAVIS DICERE HIDROPISI.

H. *Qualis eſt hic morbus, qui huic homini uſque adeo fecit uentrem intumeſcere, ut ſi uultum, reliquaq; membra non inſpexeris, non hominem, ſed quiduis aliud potius inſpicere te credas?* M. *Morbus eſt aqueus, ſubcutaneus. Multa enim congeſta eſt ſub cute aqua, quo fit ut uenter ſic (ut uides) intumuerit.* H. *Quiſquis Hidropiſim patitur, quam potiſsimum affectionem perſentiſcit?* M. *Vt ſitim explere nequeat. quamobrem* Horatius *celebris* Poeta *& inter primos meritò referendus eius morbi cum meminiſſet, inquit.* CRESCIT INDVLGENS SIBI DIRVS HIDROPS, NEC SITIM PELLIT NISI CAVSA MORBI FVGERIT VENIS ET AQVOSVS ALBO CORPORE LANGVOR. *Hoc morbo laborauit* Ariſtarcus *qui ſub* Ptolomeo *floruit, laborauit &* Iulius Viator Eques Romanus, *uirq; per illuſtris.*

DE HERCVLANO MORBO.

H. *Quo morbo hic bonus uir afficitur, de quo iam conclamatum eſſe audio?* M. *Herculano morbo laborat, eſt autem Herculanus morbus ex eorum claſſe, cui nullo medicorum auxilio ſubueniri poteſt.* H. *At quando eboriri ſolet talis morbus?* M. *Tum,*

cum

cum caro in humorem crassum, & spumantem colliquescit. H. An non etiam alio nomine à scriptoribus appellare consueuit? M. Maxime, nempe Diuino, quod Diuinam, hoc est rationalem animi partem occupet, & præpediat.

DE HIDROCELE.

H. Quando dicitur HIDROCELE? M. Cum intestina defluunt, & colliguntur. Meminit Martialis libro xij. in hunc sanè modum scribens. OMNES QVEM MODO COLEI TIMEBANT DICENTEM TVMIDAS IN HIDROCELLAS.

DE HEMICRANIA.

H. Quid HEMICRANIA? M. Est capitis affectio magnum inferens dolorem circum mediam corporis partem, nunc dextram, nunc sinistram: fit autem sæpißime ex magno humorum fluxu, siue frigidi, siue calidi sint.

DE HYPIPHASMATE.

H. Dic etiam (si non graue est) quid HYPISPHAMA? M. Est uenæ confractio, ab aliquo grauiore ictu proueniens.

DE HYPTASMO.

H. Multos exaudiui ab eo tempore quo ego huc appuli, duriter lamentantes se HYPTASMVM perferre ac pati, cupio itaque scire quid hoc morbi sit? M. Scito nihil aliud esse, quàm stomachi euersionem, à prædominante malo quopiam humore natam.

DE HARPE.

H. Quid de HARPE mihi narrabis? M. Narrabo humorem esse ex flauabile prouenientem, à quo to-

tum ſanè corpus longe lateq; corripi ſolet.

DE HÆMORROI.

H. Quale morbi genus eſſe, dices eſſe HÆMORROIM? M. Dicam eſſe genus morbis quo qui capti ſunt, ſanguinis fluxum perferre compelluntur. H. Adhiberi ne poteſt (quod ipſe noueris) aliquod excellens præſidium? M. Scripſit Plinius Allium potu exhibitum, uel cibo, uel illitu ſanandis Hæmorroidibus prodeſſe quàmplurimum.

DE HICTERO.

H. Quid eſt HICTERVS? dic (amabo) audacter: nam nihil harum rerum latere te puto. M. Eſt bilis effuſio per uniuerſum corpus, quæ tamen bilis, nunc flaua, nunc atra eſt. H. Sed unde nomen traxit? M. Ab Ictero aue, cuius conſpectu nos ſanari compertum eſt. H. Quibus ſignis talis cognoſci poteſt morbus? M. Ex oculorum colore, tum enim album quod eſt, luteum fit. H. Vnde procedere exiſtimas? M Exiſtimo ego procedere tam ex ſplene male affecto, quàm ex epate. H. Quæ accidunt his, qui talem perferunt ægritudinem? M. Nullam habere ſolent ciborum appetentiam, albaq; excrementa egerunt. Martialis lib. ij. huius morbi mentionem facit in hunc modum ſcribens DICET ET ICTERICAM SI FORSITAM ALTERA MOECHA.

DE ILEO.

H. Dixiſti cum primum huc ueni, te hic habere ILEOSOS multos tuæ fidei, tuæq; induſtriæ commiſſos, tum inceßit ſumma uoluntas ſciendi, quid ILEOS

Sit. M. Est morbus gracilioris intestini, quo affe=
cti, Ileosi dicuntur, sicq; appellatum existimo, quod
circum uoluantur dolores, indeq; à Latinis uoluu=
lum fuisse dictum. H. Cur id uitij nascitur? M. Ob
aßiduam ciborum corruptionem, eiq; Anethum in=
coctum, & potatum facile succurrit.

DE IMPETIGINE.

H. Quid est IMPETIGO? M. Est ipsa cutis defeda=
tio non sine magno pruritu: meminit Quintus Se=
renus qui medicinam non infœlici Poemate comple=
xus est, sicq; inquit. SI VERO VITIVM EST
QVOD DVCIT AB IMPETE NOMEN,
HOC MATVTINA POTERIS COHIBERE
SALIVA: à nonnullis Petix et Petigo appellatur.

DE INCVBO.

H. Quid hoc morbi est? M. Est cum quis noctu graui
se mole opprimi arbitratur, aut ab aliquo repente
inuadi. H. Vnde tale nascitur uitium? M. à diu=
turna uentriculi cruditate. H. Qui solet curari?
M. Sanguinis mißione, & herbæ peoniæ nigro
semine commanducato.

DE INTETRIGINE.

H. Quando fit INTETRIGO? M. Quando nerui
in aliqua corporis parte contrahuntur. H. Quo
medicamento tolli potest? M. Cato ait, morbum
hunc sanari posse si Absinthij Pontici surculus ge=
stetur sub annulo, sed tu fortasse anilem supersti=
tionem esse credes.

DE IGNE SACRO.

H. Quid est quod eiulantes audio, tum multos dextror=

ſum commorantes? M. Hi ſunt qui Sacro igne correpti dolent & ingemiſcunt. H. Quid eſt hic Sacer ignis? adeò ne inter mala ulcera recenſetur? M. Duo ſunt Sacris ignis genera, quorum alterum ſubrubrum eſt, quod fit in Pectore, Lateribus, & Plantis, alterum uerò in ſumma cutis exulceratione, ſine tamen ulla latitudine. H. Cur dictus eſt ſacer? M. Propter uehementem admirationem, quòd nihil ferè habeat cum alijs morbis commune.

DE ISCHIADICIS.

H. Qui nam ſunt ISCHIADICI? M. Sunt qui Coxendicum dolore correpti conqueruntur & miſeris modis excrutiantur. H. Vnde (amabo) gignitur eiuſmodi morbus? M. à craſſo pituitoſoq; humore, qui in coxarum articulis concretus reſidere ſolet. His ſi tu uenam in Poplite ſecueris, præſtans exhibebis remedium.

DE ISCVRIA.

H. Quid eſt ISCVRIA? M. Eſt Vrinæ ſuppreßio, ita enim tum cohibetur, ut emitti non queat. H. Vnde nam accidit? M. Sæpe ab imbecillitate, dum non poteſt ueſica arcte complecti & exprimere quæ ab ea continentur: quàm ſæpißime etiam calculi craſſiq; humores meatus obſtruunt. Talis ſi tibi morbus accidat, uites (moneo) quæ urinam prouocant, ne nimia urinæ copia ueſica nimis extendatur.

DE IECINORIS OBSTRVCTIONE.

H. Vnde nam fit IECINORIS obſtructio? M. à Vaporoſis craßisq; flatibus, & qui concoctioni facile reſiſtant: interdum etiam à uiſcoſis humoribus. H.

Quo pacto alendi sunt? M. Cibis certe calidioribus, & qui aperiendi uim habeant.

DE LEPRA.

H. Cum nihil tibi tàm facile sic, quàm ea narrare, quæ ad morbos spectant, uideor mihi posse te pro meo arbitrio, quando libet interpellare. dic itaque quid est LEPRA? M. Morbus est aut idem cum Elephantia, aut ab ea non multum dißimilis, de hoc sanè morbo (nisi me animus fallit) intellexit Horatius, sic inquiens, VT MALA QVEM SCABIES AVT MORBVS REGIVS VRGET. Hunc morbum Allio exulcerari, sanariq; unà cum Origano testis est Plinius lib. xx. nonnihil similitudinis habet cum Psora, quanquam aliquanto altius sese immergat, pulmonesq; adeò corrumpat, & putrescere faciat, ut isto affecti morbo rauci fiant, summa cum difficultate loquantur, uixq; respirent, laborarunt hoc morbo Eunomius, Arrianæ Disciplinæ sectator, Froila secundus, Alphonsi magni filius, & Andragasina uirgo clari apud suos nominis. Eijcit Lepram Syropus è Fumo terræ & Epitini decoctum.

DE LYCHENE.

H. Si mihi præcellẽs Doctor gratũ cupis facere, expedi quid sint LYCHENES? M. Sunt oris ulcera Cutaneum furfurẽ mire excitantia. H. Quo nomine appellant Latini medici? M. Mentagram appellant, meminit Martialis cum lib. ij. inquit. NON VLCVS ACRE Pustulæ ue lucentes, NEC triste mentum sordidiq; Lychenes. Fuit hic morbus Romanis mi-

nime notus, ad ea usque tempora, quibus Tiberius imperare cæpit. sic tradidit Plinius lib. XXVI. cap. I.

DE LITHIASI.

H. O quàm inepte (ne dicam stulte) faciunt, qui medicinam nulla græcarum literarum cognitione instructi profitentur. Ego LITHIASIM græcam uocem (ut arbitror) in medicorum libris sæpe reperio, ignoro tamen quid sit Lithiasis. M. Est calcularis morbus ex imbecillitate concoctricis facultatis nascens, acciditq; uel renibus, uel uesicæ. Frangitur lapis ubicunque residerit exhibito oleo ex piperibus, uel ex scorpionibus confecto, aqua tamen mellis potata lapidem gigni non permittit.

DE LYENTERIA.

H. Nulli ne adsunt in hisce ædibus, qui LYENTERIAM patiantur? M. Quàmplurimi adsunt. H. Sed quid est Lyenteria? est intestinorum disolutio, tum enim cibus non perficitur, sed planè incoctus eijcitur. H. Vnde nam oboritur? M. Tum oboritur cum ora uenarum sunt ueluti obstructa: uenarum inquam, quæ alimentum ex intestinis ad se auellunt. fit etiam interdum Lienteria ab imbecillitate facultatis cibos in uentriculo concoquentis ac digerentis. H. Qua uero ratione curatur? M. facile morbum hunc curaueris, si facultatem retentricem, & concoctricem, cum uentris, tum intestinarum corroboraueris.

DE LIPPITVDINE.

H. Cum LIPPOS hic ego multos cernam, age quid est Lippitudo? M. Est oculorum uitium humorem la=

chrimasq; emittentium, hoc sanè morbo laborasse ferunt Horatium illo suo fortasse permoti testimonio. HIC OCVLIS EGO NIGRA MEIS COLLYRIA LIPPVS ILLINERE. Herodotus in Polyhymnia scribit Eurythum & Aristodenum ob insignem Lippitudinem è castris à Leonida domum remissos fuisse.

DE LAGOPHTALMIA.

H. Quid est LAGOPHTALMIA? M. Est oculorum morbus, apparetq; is morbus cum palpebræ in superiora contrahuntur, fitq; ut de more leporum apertis dormiamus oculis.

DE LEVCOMATE.

H. Cum aßidue inter ægrotos uersari mihi contingat, si fortè LEVCOMATE inuenero, quid tu intelligendum censebis? M. Nihil profectò aliud quàm profundas quasdam maculas in oculis existentes.

DE LYCANTHROPIA.

H. Doce (si me amas) quid sit LYCANTHROPIA. M. Est melancoliæ species, quæ cogit lupino more affectos, in somnis fortiter ululare, & uociterari.

DE LETHARGO.

H. Superioribus diebus significatum est conquiescere hic multos Lethargicos homines, inceßit illico summa cupiditas intelligendi, quid sit Lethargus. M. Est morbus à phrenesi omnino diuersus. H. Vnde nam prouenit? M. Ab atra bile. H. In Lethargo autem præter somni immodicam appetitionem quid aliud mali extat? M. Mentis alienatio, ac rerum ferè omnium summa obliuio. Meminit huius morbi

Boetius sic scribens. LETHARGVM PATITVR COMMVNEM ILLVSARVM MENTIVM MORBVM, SVI PAVLISPER OBLITVS EST.

DE LEONTIASI.

H. Putas ne Marulle differre LEONTIASIM ab Elephantiasi? M. Non puto, quin credo potius Leontiasim appellatum esse talem morbum, quòd Leonis in modũ frons corrugetur, & contrahatur.

DE LACTIS DEFECTV.

H. Vnde (rogo) Lactis defectus. M. à sicca mammillarum, totiusq; corporis intemperie. H. Quam nam uictus rationem deposcunt, quæ lac non habent? M. Humectantem, mediocriterq; calefacientem: nam quæcunq; plusquam par sit, calfaciunt, & exiccant, aut refrigerant, lac prohibent. H. Quid igitur exhibebimus? M. Purum panem, Lac, Vitulinam carnem, Gallinarum, & Perdicum Pullos, hædos, Oua sorbillia, Pisces saxatiles, Passulas, Amigdalas dulces, Lactucas, Maluas, Buglossum, Melisophillon, cucurbitas & eiusmodi.

DE MOLA.

H. Patiere ne (obsecro) postquam tam multa hactenus edocuisti, patiere ne me ignorare quid sit MOLA? M. Non patiar, dicam itaque Molam esse tumorem in uuluæ hostiolo, uel in uniuerso potius utero. Scribit tamen Galenus esse informẽ carnem, quæ à grauitate motus nomen sumpsit. H. Vnde nam fit? M. à seminis muliebris, plurimiq; sanguinis mestrui retentione, ac etiam à fluxu, quem moderatus calor & cogit, & in carnis formam uertit. Talem sanè

morbum patientibus exhibendi sunt cibi boni succi. Confert multum etiam si præbeas unguentum ex Dialthea factum, necnon Emplastrum ex meliloto: proderit & subijcere uinum ex ruta confectum.

DE MENSIBVS SVPPRESSIS.

H. Vnde nam fœminis supprimuntur Menses? M. Aliquando à ualidis exercitijs, aliquando ab immoderata pinguedine, interdum etiam à nimia gracilitate. H. Suppressa menstrua quæ incommoda solent consequi? M. Totius corporis grauitas, nausea, horror inæqualis, dolor circum lumbos. Fœmora, collum, & sinciput: adde etiam Febres ardentes & Vrinas liuentes, non sine rubicunda sanie, atqui, si contegerit cohiberi menses à frigidis craßisq; humoribus, exhibere soleo cibos calidos, & extenuantes.

DE MENTAGRA.

H. Cogor adhuc tuis obstrepere auribus, orareq́; ut explicare mihi libeat quid sit MENTAGRA. M. Est faciei morbus, qui à mento nomen mutuatus est. Occupat isq; sæpißime totum uultum (oculos tamen excipit) descendit etiam interdum in colla, in pectus, ac manus, eaq́; membra fœdißimo furfure dehonestat. H. Differt ne Mentagra à Mentigine? M. Maxime: est enim Mentigo pecorum morbus. Manilius Cornutus Mẽtagra laborauit: ad cuius remedium perquirendum fertur ducenta sestertia liberalitate impendisse.

DE MELANTHEA.

H. Postquam uideo te in numerato habere uim, ac diffinitionem cuiuscunq; morbi, cupio etiam scire quid

ſit MELANTHEA. M. Tu mihi profectò tribuis nimium: nihilominus ut tuum de mea doctrina iudicium modereris ac etiam temperes, fatebor ingenue, me neſcire quid iſtuc morbi ſit. Memini tamen legiſſe me apud Plutarcum in uita Phocionis, eſſe morbũ, quo Dimarcus Corinthius grauiter implicitus fuerit, morbi tamen naturã nõ expreſſit doctus ille uir.

DE MENSIBVS REDVNDANTIBVS.

H. Vnde fit MENSIVM REDVNDATIO in mulieribus? M. A' fractis, & apertis uaſis. magna illa ſint, aut parua, non laboro. his ego ſoleo artus & extrema corporis colligare uinculis, & cucurbitulas ſubter Mammillas affigere: authorq; ſum, ut cibo ac potu adſtringente utatur, & aſſis potiusq; elixis ueſcantur.

DE MELANCOLIA.

H. Quid eſt obſecro MELANCOLIA? M. Eſt mentis alienatio nulla adiuncta febre, fit autem quando innocuo reliquo ſanguine, tantum is qui in cerebro continetur male afficitur.

DE NEPHRITIDE.

H. Quid eſſe putas NEPHRITIM? M. Renum morbum, de quo forte Horatius intellexit cum inquit. SI LATVS AVT RENES MORBO TENTANTVR ACVTO. H. Credis ne inter acutos morbos recenſendam phremitum? M. Quid ni? an non audiſti Horatium Nehpritim inter acutos numerantem morbos?

DE NAVSEA.

H Cum non ignorem NAVSEAM eſſe ſtomachi fa-

stidium, ignoro tamen unde illa oboriatur? M. Non aliunde oritur, quàm à prauis humoribus circunstantibus, nec multum dißimilis est Anorexia, de qua pauloante breuiter disseruimus. disseramq; posthac fusius, si tibi uisum fuerit.

DE NARCE.

H. Quid (obsecro te) est NARCE? M. Est membri alicuius torpedo siue nimio labore, siue etiam immodico frigore stupescat, & Narcodes is dicitur, qui eiusmodi ægritudinem patitur: traxit nomen à Narco Pisce eiusmodi malum inferente, qui & alio nomine Torpedo appellatur à Latinis.

DE ORIS FETORE.

H. Vnde molestus ORIS FETOR nasci solet? M. à putrescentibus gingiuis, à ciborum reliquis intra dentes detentis, & ab ipsa oris cutis calida intemperie, quæ sanè humiditatem innatam solet corrumpere. Sæpe etiam accidit ob corruptum humorem in ore uentriculi hærentem: fit etiam plærunq; oris, aut ipsius Pulmonis exulceratione. H. Sed quali uictu utetur is, cui anima fœtebit? M. Euitet in primis eos omnes cibos, qui facillime corrumpuntur. Veluti Lac, Pisces, fructus ferè omnes, medullas, æsculenta & uitiatas aquas, utetur assatis edulijs, potiusq; elixis, & fugiat eum somnum, qui statim à cibo solet nobis obrepere.

DE OZENIA.

H. Incidi olim in medicum quendam non obscuri nominis, qui iactitabat se nemini cedere in persananda OZENIA (non si ab inferis excitaretur Hippocra-

tes) ego tamen quid ſit Ozenia planè ignoro? M. Tum Ozenia eſt, cum ulcera multa cruſtæq; quàm plurimæ nares obſident, quæ non modo olfaciendi uim frangant, ſed odorem fœtentem etiam exhalant. H. Magnum exemiſti mihi ſcrupulū. M. Gaudeo, ſi tibi quid feci, quod gratum extiterit.

DE OTALGIA.

H. Heri profectò, cum familiarem quendam increpitarem, quòd me de uia clamantem non exaudiſſet, foresq; actutum non aperuiſſet, cæpit ſe purgare quòd Otalgia laboraret. ego uerò cum hanc uocem non ſatis intelligerem, animo ualde perturbato, & commoto ab eo diſceßi. Dic tu (precor) quid ſit? M. Eſt aurium morbus, nempe cum ſonitus quidam intro auditur non ſine multa animi moleſtia.

DE OPHIASI.

H. Quid eſt OPHIASIS? M. Praua quædam eſt affectio, quæ nondum latinum nomen conſequi potuit, & capitis partem læſam in modum ſerpentis glabram indicat: capilli tum ſunt abradendi, & unguento perungendum eſt caput, quod ſane confici ſolet, cum euphorbio, Thapſia, utroq; Elleboro, ſemine Naſturtij & erucæ, necnon cum Amigdalis amaris, adde Sinapi, Oleum Nardinum, & Laurinum, ceræq; tantum, quantum tu ſatis eſſe exiſtimaueris.

DE PERNIONE.

Celsus lib. 5. c. 33. Rald. reg. lib. 3. c. 19

H. Pridiæ, cum puerum meum cottidiani uictus adminiſtrum obiurgarem, quòd à me in piſcatorium forum miſſus, tam ſerò reuertiſſet, ignoſce (inquit) nam Pernio calcaneis moleſtus eſſe non deſinit: narra

mihi igitur quid hoc morbi sit, ut sciam an illi sit ignoscendum, uel illius cessationem flagris puniendam? M. Moraus est pedum ex frigore proueniens, postremasq; pedis partes in primis lædens. H. Qui tolli potest? M. Plinius, (quem authore ego libentißime sequor) tradidit Rapo domestico (si feruens imponatur) sanari facile posse.

DE PHRENESI.

H. Si uera retulit quisquis mihi significauit in PHRENESIM hoc anno incidisse quàmplurimos, fieri non potest ut de Phrenesi non plurimus etiam inter medicos nascatur sermo, itaq; ne nimis ignarus rudisq; uidear, doce quid sit Phrenesis. M. Faciam cum libenter, tum etiam diligenter. Est Phrenesis ægritudo mentem perturbans, & ad insaniam adigens, fit autem, cum quis inanes concipit imagines: non defuit Poßidonius, qui scripserit tumorem esse membranarum circum caput, non sine acuta febri, à qua mens alienatur. H. Sed unde prouenit? M. Ex flaua bile, uarieq; sese habet: nam si humida sit, somnos parit profundos, si uerò sicca, uigilias creat, si autem humida cum exiguo frigore admixto, stultitiam gignit.

DE PHTIRIASI.

H. Intelligebam superioribus diebus PHTIRIASI consumptos Pherecidem Philosophum, Syllam dictatorem, & alios multos: cumq; ego non satis intelligerem quid hoc esset, ualde sum mecum ipse commotus, cæpiq; ijs male præcari, qui magistri fuissent, quòd Græcorum literas (ut par erat) non edocuissent, tu

itaq; doce quid sit Phtiriasis. M. Est morbus pedicularis. Sed quid tu aliud scire optas? nunc certe non est otium prolixius agendi, alioqui semper causas notasq; morborum attulissem.

DE PITVITA.

H. Incidi (non diu est) in Ciceronis locum, ubi scriptum reliquit bonarum artium studiosos plærosq; omnes Pituitosos esse. qua re ut eum locum facilius intelligam, explana quid sit Pituita. M. Est capitis morbus, ex catarrho proueniens. Phlegma Græci appellant, nec dubitarim eam morborum omnium originem uocare, eorumq; (inquam) qui ex distillatione creantur. Hæc certe, siue intrò, siue extra sese prodat, uarios semper tumores, mordacesq; morbos parit. Meminit Horatius in Epistolis ad hunc modum scribens. PRÆCIPVE SANVS, NISI CVM PITVITA MOLESTA EST.

DE PLEVRITI.

H. Qualem morbum esse censes PLEVRITIM? M. Pleuritis est laterum morbus, quo morbo perijt L. Crassus uir & eloquentia, & iuris prudentia maxime clarus: huiusq; morbi comites sæpe sunt Tussis, Febris, anhelitusq; difficultas. Huic tu facile succurres, si Oleum ex ruta aut Syropum ex Hisopo diligenter exhibueris.

DE PODAGRA.

H. Posteaquam de tot morbis egisti mecum tam libenti, tamq; alacri animo, age etiam (obsecro) de ræliquis, quo tibi obstrictior sim, nec prætermittas de PODAGRA loqui paucis (ut soles.) M. Podagra do-

lor est pedum: cuius quidem meminit Martialis cum dit. LITIGAT ET PODAGRA DIODORVS FLACCE LABORAT. Scribit Plinius hunc morbum rarò uisum in Italia Patrum Auorumq́; nostrorum memoria, suaq́; etiam ætate, non omnino curationi contumacem fuisse. ego quidem in multis sæpe desijsse, in multis etiam sæpißime probè curatam animaduerti. Meminit Ouidius libro secundo de Ponto, Plinianæq́; aduersatur sententiæ in hunc modum scribens. SOLVERE NODOSAM NESCIT MEDICINA PODAGRAM. Hæc si Genua contigerit ab Hippocrate Gonagra uocatur. Ptolomeus Philadelphus Rex Aegypti Podagræ obnoxius ualde fuit. addit Plinius uomica etiam laborasse, uulneratoq́; pectore cũ mortem in bello quæreret, medicinam inuenisse. Laborauit item Seruius Clodius Eques Romanus, cuius dolore coactus est ueneno crura perungere, sicq́; omni protinus sensu carere. Podagricus item fuit Ennius Poeta celebris. Meminit Q. Serenus in hunc modum scribens. ENNIVS IPSE PATER DVM POCVLA SICCAT INIQVA, HOC VITIO TALES FERTVR MERVISSE DOLORES.

DE PARIENDI DIFFICVLTATE.

H. Vnde nam (rogo) difficilis partus? M. Sæpe Parientis uitio accidit, sæpe etiam fœtus, aut secundarum culpa euenit: habeoq́; diligenter adseruatum medicamentum peregregium confectum Cinamomo electo, Mirrha, Caßia lignea, succino albo uinoq́; odorifero.

DE PORRIGINE.

H. Quid est Porrigo? M. Genus est morbi, qui crescendo porrigitur, & protenditur, unde etiam nomen traxit. is innasci consueuit barbæ, capillo, & superciliis. Lucilius sic de eo morbo scripsit: TRISTEM ET CORRVPTVM SCABIE ET PORRIGINE PLENVM.

DE PRIAPISMO.

H. Qualis morbus est PRIAPISMVS, dicito mihi ut hactenus consueuisti & breuiter & alacriter? M. morbus est, quo uirile membrum magnopere extenditur, nulla tamen adiuncta Veneris appetitione. Hoc morbo perculsus insignis Poeta diem suũ superiore anno obijt? Sunt etiam qui credant eodem morbo extinctũ esse Caninium Gõzagam uirũ illustrem.

DE PVSTVLA.

H. Age(precor)quid est PVSTVLA? M. Est tuberculus in suprema cutis parte nascens, quamuis Plinius Pustulas Pituitæ eruptiones uocet. Nõ negarim ego tamen, quin Pustula etiam significet argenti Bracteam, cuius sanè rei fidem mihi abunde facit Martialis libro octauo, sic inquiens. ET NIVEM FELIX PVSTVLA VINCIT EBVR.

DE PTERYGIO.

H. Nihil ne de PTERYGIO mihi dicturus es? M. Quid ni? scito itaq; Pterygium esse Membranulam neruis plenam sub oculorum angulis enatam, quæ aliquando sic excrescit, ut uniuersam pupillam contegat, quæ si in mediocritate tantum consistat, solis collirijs poteris ei opitulari.

DE PVDENDORVM VLCERATIONE.

H. PVDENDORVM VLCERA citra inflammationem orta, quibusnam ægent medicamentis? M. His nempe, quæ uehementer exiccant, ueluti sunt carta combusta, anetum ustum aridum, aloe arida in puluerem redacta, & radix Aristolochiæ rotundæ: attamẽ si vlcera humida sordidaq; fuerint, primũ dilutiore mulso mox caprino lacte abstergẽda fuerint.

DE PTILOSI.

H. Quando (obsecro) fit PTILOSIS? M. Cum Pili supernæ palpebræ adglutinantur, uel cum occidunt, uel etiam cum ex palpebrarum craßitie conduplicato nascuntur ordine.

Paul. 3. c. 2.

DE PSOROPHTALMIA.

H. Quid tu per PSOROPHTALMIAM intelligis (si quando in hanc uocem incidis?) M. Palpebrarum pruritũ intelligo, nihil præterea aliud (quod sciam) cum uerò pupilla angustior, aut latior efficitur, sic ut obiecta ipsa maiora quàm re uera sint, appareant, Phtisis appellatur, idq; nominis forte habet is morbus, quod exulceratio pulmonis fiat, Pituita à capite plurimum distillante.

DE POLYPO.

H. Quid tu per POLYPVM intelligis? M. Narium morbum intelligo, sicq; appellatum existimo à Polypi animalis similitudine, nam ut Polypus uenatorem inuadit, sic & morbus hic nares ita aggreditur & occupat, ut & sermonem, & anhelitum impediat: sunt qui Polypum inter ea Carcinomata percenseant, quæ nullam curationem admittunt. Polyposi

uerò ij dicuntur, quorum nasus Polypo morbo offensus, in fœdam Portentosamq; magnitudinem augescit, ob id coactus est scribere Martialis. NASVTVM VOLO, NOLO POLYPOSVM.

DE PAROTIDIBVS.

H. Sunt ne PAROTIDES aurium morbi? M. Nemo est, qui de hoc ambigat. H. Vnde proficisci solent? M. Ex humoribus capitis, qui illò descendunt, congestiq; diutius resident, uisuntur & sæpe absq; ullo tumore: sunt qui existiment hoc morbo laborauisse M. Crassum quod surdaster haberetur, sicuti meminit Cic. in Tusculanicis quæstionibus.

DE PARVLIS.

H. Quid PARVLÆ? M. Quid gingiuarum tumor? cui nisi Pharmaco aliquo præstanti cito occurras, in Pus conuertitur, pernitiemq; affert maximam.

DE PARISTHMIA.

H. Narra etiam de PARISTHMIA. M. Narro, dicoq; esse morbum gutturi, faucibusq; maxime infensum: angusti enim gulæ meatus, aut potione immoderata, aut repentino haustu rei alicuius accidæ, præcluduntur.

DE PNEVMONIA.

H. Fac (quæso) ut tua etiam ope adiutus intelligam quid sit PNEVMONIA. M. Est morbus pulmonem sic lædens, ut etiam cogat aliquando intumescere. H. Vnde prouenit? M. Vel catarrho, uel ex Pleuritide.

DE PHIMOSI.

H. PHIMOSIM sæpe à chirurgicis nominari audio, non tamen satis adhuc intelligo quid sit: exime igi=

tur hunc ſcrupulum, ne mihi tanquam in ſalebra hærendum perpetuò ſit, quoties in hanc perobſcuram uocem incidero. M. Phimoſis eſt illud mentulæ uitium, quando nuda eſſe cogitur, uel ſemel contecta, nudari nullo modo poteſt.

DE PSORA.

H. De PSORA autem quid tu mihi narrabis? M. Nempe eſſe lepræ ſpeciem in ſumma pelle uerſantem, qua ſanè quiſquis laborat, puſtulas, uel ulcera ſcalpere, nunquam non optat, & appetit.

DE PARALYSI.

H. Volo etiam (niſi graue ducas) ſcire ab ſte, quid ſit PARALYSIS, quibuſ ue modis in humano corpore deprehendatur. M. Eſt neruorum diſſolutio, & uirium deliquium quoddam, quod deprehendi ſolet, cum recte non inceditur: atrahunturq́; crura de more illorum, qui æditiora loca conſcendunt, & in ſiniſtrum quandoque dextra circunferunt quandoque è diuerſo.

DE QVARTANA.

H. Vnde nam oritur QVARTANA? M. à ſolo atræ bilis humore putreſcente oritur: ſuntq́; Quartanarij omnes in ipſo initio leniter ac moderate tractandi, nec ullo forti medicamento aut euacuatione irritandi, niſi forte ſanguis magnopere exuperet.

DE RECLVVIO.

H. Sed quando (rogo te) ſit RECLVVIVM? M. Quando circum ungues cutis ſeſe ſoluit, nec diſſimilis eſt Redinia, quam ferunt lana ſuccida ex aqua frigida, facile ſolui poſſe.

DE RAMICE.

H. Cupio nunc ſcire qui nam hi ſint, qui RAMICOSI meritò dicantur? M. Scias (uelim) Ramicem eſſe ſpeciem herniæ, & ſi uera narrat Plinius libro decimo, ſanatur Syluestri ruta, cum axungia cõmixta: prodeſt etiam plurimum Ceratum ex nauali Pice, & maſtiche Chia confectum, decetq; ægrotantes abſtinere à flatuoſis cibis, à largiore uini potu, & à uehemente corporis motu, ueluti à curſu, ſaltu, clamore, alijsq; id genus exercitamentis.

DE REGIO MORBO.

H. Dixiſti (non diu eſt) Arquatum morbum non differre à REGIO, cupio nunc ſcire cur ſit dictus Regius? an fortaſſe quòd eo affecti morbo, apparatu Regio, cultiore conclaui, ludisq; & iocis ſanantur? M. Ita eſt profectò, tu rem acu tetigiſti, nihil eſt quod de hac re amplius dicam in præſentia.

DE STRANGVRIA.

H. Adhuc percuntari non deſino, dic igitur quid ſit STRANGVRIA? M. Eſt urinæ ſumma difficultas, quæ facit, ut guttatim eggeratur, quòd ſi mihi fidem non habes, eius rei teſtem legito Catonem de Re Ruſtica.

DE STROPHO.

H. Quid STROPHOS? M. Eſt inteſtinorum dolor.

DE SYCOSI.

H. Quid SYCOSIS? M. Eſt is morbus, qui aliter Ficus, aliter Mariſca dici conſueuit, fitq; is morbus cum caro nimis excreſcit.

DE SYNANCHE.

H. Quid tu hic mihi asseris de SYNANCHE? M. Assero ego esse morbum, qui & spiritum, & fauces occupet stranguletq́;. Demosthenes pecunia à Milesys corruptus cum flagitaretur ut orationem habere uellet, qua aduersariorum argumenta refellerentur, dixit se pati Synanchen, neque posse tria uerba proloqui. Tum quispiam, qui aderat (id quod res erat suspicatus) exclamauit non eum pati Synanchen, sed Argiranchen, quasi dixeris Argētanginam quo dicto aperte significauit emptum fuisse pecunia à Milesys Demosthenis silentium.

DE SYNCHISI.

H. Quid SYNCHISIS? M. Est oculi confusio, ob aliquam insignem plagam, ex qua perturbari ualde solet Pupilla.

DE SYMPISI.

H. Quid SYMPISIS? M. Puto esse tumorem palpebrarum.

DE SYNOCHO CVM PVTREDINE.

H. Quid etiam SYNOCHOS? M. Febris est, in qua una accesio ab initio ad finem usque perdurans in multos porrigitur dies: à Latinis hominibus continens dici potest, Synochorum autem tres sunt differentiæ, sed hunc sermonem de Synocho in alium differamus diem: est enim prolixior quàm posit paucis absolui.

DE SYRIASI.

H. Cur non etiam motum mihi facis qualis morbus sit SYRIASIS, de ea enim frequentem mentionem paul. lib. 3. cap. 13.

intelligo fieri à medicis. M. Syriasis est puerilis ægritudo, quæ facit, ut inflāmentur capita, unde sequitur Syncipitis, & oculorum incuruitas, non sine magno pallore ac multa corporis ariditate. Plinius lib. XXII. scriptum reliquit, Heliotropij folia infantili fluxioni, quam Syriasim appellant, illita mederi posse.

DE SOLEROPHTALMIA.

H. Qualis morbus est SOLEROPHTALMIA? M. Est is oculorum morbus, quando præduritie uix aperiri possunt palpebræ, tumq; fiunt oculi subrufi ob sordes, quæ exiccatæ in oculis diutius resident.

DE SPASMO.

H. Quem morbum esse censes SPASMVM? Vndé ue nascitur? M. Dicam quæ me legisse memini. Spasmus nascitur ex humore frigido, præsertim circa musculorum Spinam. H. Quæ sunt morbi signa? M. Si ægre spiret, si exiguum arteriarum motum habeat, si rubor in facie appareat, aut si oculi tumentes sint, & si urina uel aquea, uel prorsus sanguinea fuerit. H. Non peto ego ab ste unde nascatur, sed quod sit Spasmus. M. Et illud eram dicturus modo tantillum ocij relictum esset. Itaque nihil aliud est Spasmus, quàm neruorum distentio, siue rigor è nimia siccitate in euacuato corpore procedens. En uides nunc me plus præstitisse, quàm tu poposcisti. M. Ita factitare solent, qui tam liberali ingenio præditi sunt, qualem te præditū nec dißimulanter agnosco, & ubique prædico.

DE SYNTEXI.

H. Quid est SYNTEXIS? M. Est alui ægritudo, quando humoribus descendentibus nescio quid excreatur, flauæ bilis non dißimile. H. Vnde gignitur? M. à febre omnem internum humorem perurente. hoc, qui laborant morbo, Syntectici uocantur.

DE STERILITATE.

H. Dic (amabo te) aliquid etiam de STERILITATE. M. Dico libens, asseroq; nunc à fœmina, nunc à uiro solitam accidere, à uiro quidem, cum eius semen, uel torrefactum, uel frigidum, & aquosum nimis est: contingit etiam quàm sæpißime nimia pinguedine: obesi enim adeò uentricosi euadunt, ut semen ad profundiores uteri partes iaculari non queant.

DE SCOTOMA.

H. Differamus paululum de SCOTOMA? M. Per me quidem liceat, nullum enim laborem tui gratia, ullo unquam tempore detrectabo: hunc sanè morbum uertiginem multi appellant: quod tenebræ tum ob oculos uoluantur. H. Vnde (quæso) procedit? M. Ex uaporibus multis ad cerebrum delatis. H. Quæ signa sunt obortæ ægritudinis? M. Oculorum hebetudo. Aurium sonitus, & semisurditas. H. Quando solent hæc euenire? M. Cum è lecto surgimus, somnoq; excitamur, uel cum ipsum corpus circum agitur, aut nimia ebrietate aut cibi immodica saturitate. Tum enim cucurbitulæ occipiti admotæ plurimum opis afferunt ad hunc morbum prorsus amouendum, & tollendum: prodest etiam anagallidis aut Cyslamini succus in ipsas nares infusus.

DE SATIRIASI.

H. Quid SATIRIASIS? M. Est elephantiasis species, quo morbo affecti, ulceribus scatere consueuerunt: soliti etiam sunt tetrum habere conspectum, & os squalens non sine dolore & multa corporis inertia. adde, quod nullā cibi, aut potus uoluntatē persentiscant. sic autem dici puto, quòd ora Satyrorum Pictorum refferant, uel quòd libidinosis hominibus, quales sunt Satyri, id morbi euenire consueuerit.

DE SPHACELO.

H. Loquamur etiam de SPHACELO, postquam tantum otij relictum à grauioribus negotijs tibi esse intelligo, neque quisquam est qui nos interpellet. M. Est morbi genus, quod immodice defatigatis solet accidere. Sunt qui existiment esse articulorum tormina: alij oßium tabem crediderunt, præsertim cum cernant aliquando usque adeo scabie corruptum esse aliquod membrum, ut absque ullo sensu prorsus maneat.

DE STRVMA.

H. Quid putas esse STRVMAM? M. Puto esse tumorem quendam, sub quo concretæ ex sanie, & sanguine quasi glandulæ quædam oboriuntur. H. Hæ quæ membra potißimum etiam inuadunt? M. Ceruicem, Alas, & ungues manuum.

DE SYNCOPI.

H. Explana docte Magister quid sit SYNCOPIS? M. Explano lubenti animo, ac dico (authore Galeno) esse præcipitem quendam uirium lapsum, qui fit ob plurimam sanguinis & uentris inanitionem, nec

cellam habet generalem curandi rationem, excretionem, motum uehementem, dolorem ingentem & immoderatam.

DE SCIRRO.

H. Quid est SCIRRVS, de quo chirurgici tam sæpe loquuntur? M. Est prædurus quidam tumor insensilis, & qui uix curationem admittat.

DE SPVTO CRVENTO.

H. Vnde SPVTVM CRVENTVM? M. Fit quàm sæpißime ex externa causa: nempe delapsu ex eminentiore loco, aut si graue quidpiam Thoraci acciderit, quod uenas queat rumpere: fit etiam nonnunquam à frigore, magnaq; uocife ratione quæ ut Hippocrates testatur, solet uenas frangere.

DE TREMORE.

H. Cupio scire quid TREMOR sit. M. Et ego cupio narrare tibi, qualis hic morbus sit, scito itaq; Tremorem duobus perfici motibus, uno quidem dum cogitur membrum ob morbi grauitatem ad inferiora labi, altero, dum sursum à facultate fertur, pendetq; eius origo à neruorum imbecillitate: eiusmodi ægrotis consueui ego eam uictus rationem administrare, quæ causis aduersetur.

DE TABE.

H. Quid TABES? M. Est corporis extenuatio pulmonis exulcerationem consequens. H. Cur fit? M. Propter humoris acris, & erodentis defluxum in pulmonem. H. Qua ratione Tabidi qui sunt, agnosci possunt? M. Corporis totius attenuatione. His etiam qui tabidi fiunt, nares acutæ euadunt. Tem=

pora collabuntur, oculi fiunt concaui: Spatulæq; alarum instar prominent.

DE TERIOMATE.

H. Opto ualde scire, quid sit apud medicos TERIOMA. M. Scito ulcus esse, quod pudēda maxime lædit: solet etiam alias corporis partes lædere: nigraq; tum efficitur caro atque corroditur, ater fit etiam sanguis ac mali odoris euadit.

DE TORMINIBVS.

H. Explica (rogo) postquam hic tam multos habes TORMINOSOS, unde dicantur Tormina? M. à torquendo nomen sumpserunt, magno enim cum doloris sensu, & torquentur & exulcerantur intestina: ex his etiam cruor solet emanare, frequensq; dijciendi cupiditas, nec tum dolor abest ab ano: mortale tamen signum est, si carnes egerantur. Medici asserunt, non aliud esse Tormina, quàm cum in anfractibus intestinorum mordetur aluus. Si uerò Tormina accidant circa umbilicum, & lumbos ipsos, inanis est quæcunq; adhibetur medicina.

DE TVSSI.

H. Quid est TVSSIS? M. Est morbus arteriarum, qui gignitur uel ex frigore, uel ex Pituita in pulmones delata: prouenit interdum ex uehementi uocis conatu, & interdum etiam ex calore febris, quæ si inueterata sit, difficile tollitur. H. Quomodo sanari solet? M. Sanatur herba, quæ hanc ob causam dicta est Tußilago: Dioscorides uerò tradidit acetum sanare ueterem Tußim, sed prouocare & lacessere nouam. quod uerum sit, nec ne, nondum satis

compertum habeo, tamen certò scio sæpe Tußim nasci à craßis uiscidisq; humoribus, cui sanè Tußi exhibere soleo Siropum ex Hisopo & Praßio.

DE TRICHIASI.

H. Quid est TRICHIASIS? M. Est eruptio pilorum præter naturam ex reumate multo procedens.

DE TRACHOMATE.

H. Explica etiam quid sit TRACHOMA? M. Est palpebrarum asperitas magna.

DE TONSILLIS.

H. Quod morbi genus TONSILLAS appellamus? M. Morbum faucium, carne circa guttur indurata. Scribit Plinius Tonsillas in homine appellari, in sue uerò glandulas dici solitas.

DE TYMPANITE.

H. Quid est TYMPANITES? M. Est species Hidropiseos, qua qui est affectus, intumescit, ac in Tympani modum inflari solitus est: quo morbo diu laborauit Metrodorus Philosophus Epicuri socius.

DE VRINÆ DIFFICVLTATE.

H. Cum de Dissuria loqueremur, fuisti tu quidem per parcus in agendo de ea corporis affectione, quæ mihi sæpe incredibilem affert molestiam: obsecro te igitur narra mihi paulo fusius, quæ tam strictim, & tam paucis uerbis percurristi. M. Facio lubens quæ tu imperas. Nasci quidem solet isthæc difficultas ob Vesicæ imbecillitatem, frigidamq; intemperiem, à qua ipsa læditur actio: curatur autem per ea quæ calfaciunt, non itaq; inutile esset, si Pectinem calidis oleis, nempe Rutaceo, Anethino, Liliaceo, Scor-

pionum, & ex Castoreo foueris. Præstaret etiam admouere Fomenta, et Sacculos ex Camemelo, Abrotano, Betonica, Artemisia, Ruta, Calamintha, Sabina, & similibus herbis confectos, nec alienum existimauero, si ægrotus in prædictarum herbarum decocto resederit. Rœliqua, quæ scire oportet, percunctare medicos quos habes urbe plurimos, & doctrina & usu excellentes.

DE VETERNO.

H. Quid tu reris esse VETERNVM? M. Reor esse morbum, qui somnum & marcorem quendam in animum inuehat, idq; fit ex multo ocio & torpore nimio: ponitur tamen à Poetis quàm sæpißime pro ipsa pigritia ipsoq; somno.

DE VNGVE.

H. Qualis est hic morbus? & quam corporis partem solet offendere? M. Oculos offendit, huncq; Græci Pterigium appellant.

DE VOMICA.

H. Doce (precor) quid sit VOMICA? M. Tumor est excrescens in corpore, qui saniem plerunq; solet eijcere: Plautus tamen Poeta perfacetus, Vomicam, Crumenam ipsam appellauit, quæ pecuniæ plæna ac referta sit. Maria Amadei Allobrogum Regis filia diu Vomica laborauit, ob idq; nunquã Philippo Mario Viscontio eius sponso congredi uoluit.

DE VERMINIBVS.

H. Postquam tam multa docuisti, doce etiam (obsecro) quid sint VERMINA? M. Sunt dolores corporis, qui exiguo quodam motu, & quibusdam ueluti sti-

mulis, uermium instar, intestina pungere consueuerunt: Celsus meminit eius morbi, sicq; inquit. NIHIL PERNITIOSIVS EST PVERIS DVM VERMINANT: est autem uerminare uermibus scatere.

DE VERRVCIS.

H. Neq; hoc latere me sinito doctor excellens, quid sint etiam VERRVCÆ? M. Sunt tumores uultum obsidentes, quos Græci Mirmecias uocant. Festus tamen Cossos appellat, qui serpere solent ad ceruicem usque, sæpeq; dolorem ac pruritum afferunt quammaximum.

DE XEROPHTALMIA.

H. Dic etiam (precor) quid sit XEROPHTALMIA. M. Dicam libenter: est pruritus oculorum, tracto nomine ab ipsa siccitate, est enim arida quædam lippitudo, quæ facit ut nec tumeant oculi, nec fluant, sed solum ingrauescant.

DE HIS, QVI COIRE NON POSSVNT.

H. Docuisti tu & egregie quidem, qua ratione multos graueis morbos poßim depellere, doce nunc etiam, quo modo quis re Venerea uti poßit, si ob frigidam intemperiem, aut aliud malum ea uti fortè non queat. M. Quisquis ille fuerit, infernas primum partes exerceat, cibis uescatur calefacientibus, optimumq; succum gignentibus. H. Qui nam (amabo te) cibi illos decent? M. Hi nempe qui non solum bellè alunt, sed & flatuosi sunt. H. Recense (quæso) cibos omnes, quibus uti solent qui mariti existunt, &

concumbere non possunt. M. Animaduerti ego eiusmodi homines crebro uti solitos carnibus Gallinarum, Perdicum, Caponum, Phasianorum, Iuuenum Columborum, Auicularum Montanearum, Passerum, Testiculis Gallorum ouis recentibus uino dulci & similibus.

H. Postquam morborum Catalogum alphabetico ordine satis diligenter recensuisti, doce etiam qua ratione morbis indantur nomina. M. Fiet quod ipse uoles, tibiq; (quoad uiuam) semper obsequi studebo. Induntur itaque nomina morbis, quandoque ab affecto membro: ut Pleuritis à latere, Peripneumonia à pulmone, quandoque etiam à causis, ut Maniæ ut Melancoliæ, quandoque à similitudine, ut Elephas, Leo Ictericus, Cancer, & Polypus, quandoque etiam ab ipsomet artifice, ut Chironium Vlcus, & quandoq; ab ijs, qui eo morbo laborarunt, Tylosis, & Herculanus. H. Recte factum, quod hæc docueris, sed quorsum habes hic tot uasa totq; arculas repositas? M. Vt Vnguenta & Pharmaca quàmplurima adseruentur, quæ in primis ars nostra requirit. Hic enim (ut uides) recondo Elaterium, Crocinum, Malobatrum, & Mithridaticum. Hic uerò Atharim, Bottriona stomachicen, Opoticen & Panchrestum. H. Mira profecto narras, nec minorem uoluptatem sentirem, si de his unguentis, & pharmacis aliquid narrares, quàm hactenus senserim, dum tam uaria morborum genera tanta facundia commemorares. M. Et in hac re, non me minus obsequentem, & morigerum habebis

quàm antea habueris. Para igitur te ad audiendum, ego ad loquendum paratus ſemper fuero, atque ab Elaterio exordiar. Eſt enim Elaterium (ut Plinius affirmat) medicamentum ualde efficax, quod fit ex cucumere Syluestri, ſucco è ſemine expreſſo. Crocinum autem ſpecies eſt unguenti, quod Croci plurima commixtione conficitur. H. Eſt ne id Crocinum, de quo Propertius ſic ſcribens, inquit. SIT MENSÆ RATIO VOXQVE INTER POCVLA CVRRAT, ET CROCINO NARES MVRHEVS VNGAT ONIX. M. Ita eſt, ut tu quidem arbitraris. H. Qua ratione confici ſolet. M. Ex Croco trito, & uino dulci. Hoc Romani non ſolum corpora ungebant, ſed & Pulpita conſpergere aſſueuerant, quæ res eundem Poetam permouit, ut ſcriberet PVLPITA SOLENNES NON OLVERE CROCOS. In Cilicia primas laudes promeruit, mox Rhodi. Malobatrum unguentum eſt iucundiſſimi odoris, quod afferri ſolebat ex Aſſiria: quo Romani ſolebant inungere capillos, Vrinam prouocare, & oculorum Epiforis, uino expreſſum, ſumma cum utilitate imponere, item ſic eius Fronti qui ſomnum capere cuperet. Panchreſtum genus eſt medicamenti, de quo Cicero Actione quarta in Verrem meminit. Atharis, medicamentum eſt pueris ualde utile, quod fit Olyra her ba decocta: Botryon eſt medicamentum confectum ex cinere excrementorum, quo Eſchines Athenienſis (ſi uera refert Plin. lib. XXVIII.) mederi cõſueuerat, & Anginis, & Tonſillis. Hic adſeruo Euhæmon:

Elaterium

crocinu

malobatrum

unguentum est enim à Græcis sic appellatum, mire quidem appositum ad contrahenda Cicatricum uulnera. Opotice Dysentericis maxime prodest, pectorisq; uitijs. H. Qua ratione confici solet? M. decoquuntur mala Cotonea quinque cum suis seminibus totidemq; punicis, & sorborum sextario, in congio uini albi, lento igne. Hic est stomachice, medicamentum credas utilißimū oris uitijs, narium et aurium, oculorum Caligini, Pterygijs, & Genitalibus. Soleo etiam adseruare unguenta quàmplurima confecta ex Floribus, quale est Rosaceum, Leucoium, & Susinum: aut ex Follijs, ut Mirrhinum, Oenarithinum, aut ex radicibus, ut Nardinum, & Amaricinum. Adseruo etiam uaria oleorum genera non ad cutis nitorem, (ut plæriq; stulte faciunt) sed ad confirmandas corporis uires, & in primis Amigdalinum, quo non solum emollio corpora, cutem erugatam reddo, nitorem commendatiorem efficio, sed & Varos cum melle de facie remoueo, auribusq; ualde etiam prosum. Habeo Cicinum, quod ad uentrem purgandum exhiberi solet: Penes me etiam plurimum est Laurini olei, quo soleo perungere Paralyticos, Spaticos, & Ischiadicos; non deest Balaninum quo repurgo Varos, Furunculos, & Lentigines. Non deest Omphacinum, quod ualde appositum est ad sudores cohibendos, confirmandasq; Gingiuas. Viden tu Amphoram illam? H. Video certe, nec mihi tam parum prospiciunt oculi, ut uidere non poßim quæ uel Lippi facile cernerent. M. Ea est Plen? Raphamini olei, quo Phtiriases ab ægrotis

tollo.

tollo. Viden tu illam aliam in reconditiorem loco sepositam? H. Video sanè. M. Ea continet Sesaminum, quo dolores aurium sano, & ulcera quæ serpunt penitus tollo. Habeo penes me Balsaminum contra Serpentes efficax. Habeo Lilinum Renibus utilißimum, sudoribusq; euocandis maxime aptum. Habeo Seleucinum neruis utilißimum: non deest oleum ex malis cidonijs expressum, quod copiosos sudores cohibere solet. H. Cogis me in stuporem uerti, Doctor excellens, dum tam admiranda mihi commemoras. Nunquam profectò memini me cum aliquo congressum esse, è cuius familiari sermone tam uberes perceperim Doctrinæ fructus atq; tecũ loquens, hactenus percepi. iniecisti tu mihi tantam cupiditatem medicinæ scriptores euoluendi, ut nihil nunc tam ardenter optem, sed unde nam tantum abstrusæ Doctrinæ percepisti? indica (quæso) quos libros euolueris, ut si fortè in hæc studia abdere me uoluero, scire poßim qui sint à me imprimis perlegendi authores. M. Hic tu facile uidere potes unde pusillam hanc morborum cognitionem hauserim. Ingredere Biliothecam meam. H. Ingredior, ò gratum, & iucundum spectaculum, sed sunt ne omnes hi libri ad medicinam spectantes?
M. Sunt ferè omnes. Hic ego habeo Acronis Agrigentini libros. H. illum fortasse Acronem dicis, qui Athenis unà cum Empedocle tam docte philosophatus est? M. Illum ipsum dico, qui Hippocrate Antiquior fuit, ac de medicina omnium doctißime scripsit. Habeo Aristogenem Thasium medicum excel-

sas

lilinũ

seleucinũ

Acro agrigentinus Hippocrate antiquior

Asclepiades.

lentem & qui floruit temporibus Antigoni Macedoniæ Regis. Hic est etiam Asclepiades Prusiensis Gn. Pompeij familiaris, qui rationem primus reperit quà uinum ægris iucunde mederetur uno homine è funere relato, ac diuinitus quidem conseruato. H. Est ne is Asclepiades, qui dictitabat salutem constare, cibi, potusq; abstinentia: prætera gestatione, inambulatione, ac multa frictione? est ne is, qui ad Mithridatem tam audacter scripsit, quiq; extrema senectute è scalis lapsus mortem obijt est ne is qui tot lenocinia, totq; blanditias in ægrotorum gratiam excogitauit? M. Is est profecto, qui etiam Balneorum consuetudinem inuexit, primusq; lectulos pensiles commentus, quorum molli, iucundaq; iactatione obrepere posset ægrotis iucundißimus somnus. Hic sunt scripta Antonij Musæ qui Augusti medicus fuit. H. Is ne, de quo Horatius sic scribens meminit NAM MIHI BAIAS MVSA SVPERVACVAS ANTONIVS. M. Is est, non absunt etiam longius uolumina Artemonis medici. H. Is ne, qui Calua hominis interfecti, igneq; combusti, propinabat aquam è fonte noctu Comiciale morbum patientibus? M. Ille ipse est. M. Sunt etiam in hoc cubiculo, ubi tantam librorum struem cernis, scripta Agronis medici, qui peste Athenas paßim deuastante affectorum, plærisque opem attulit maxime salutarem accensis ubique ignibus. Habeo Euphorbum medicum, qui Euforbiæ herbæ nomen indidit lego, quàm sæpißime Eribotis libros, qui Oilei uulnus à Stym-

Euphorbus

phaudibus illatum persanauit. Lego aßidue libros illius Erasistrati, qui tam belle depræhendit Antiochi morbum, cum nouercam stratonicem misere deperiret. H. Est ne is, quem Plinius scripsit fuisse Chrisippi discipulum. ex Aristotelis filia genitum? cui Antiocho Rege sanato, centum talenta dono data sunt à Ptolomeo eius filio? M. Is est. rarò etiam de manibus pono Epicarmum Coum Pithagoræ frequentißimum auditorem, quique de rerum natura, ac medicina doctos conscripsit commentarios, frequens sum in lectione Democratis Seruilij, qui herbam Hyberidam primus inuenit. Est mihi etiam ferè semper præ manibus Cherias Atheniensis, qui (ut testis est Plinius) Radicem Cardui ex aqua decocta, potatoribus stomachum corroborare, & uuluis plurimum conferre ut mares gignerentur, ante omnes tradidit. Lego etiam dies, & noctes, scripta Castoris medici. H. De hoc medico nusquam memini me legisse. M. Est is, qui primus docuit Piperitim herbam, quam alij Siliquastrum appellant, utiliter ebibi posse contra comitialem morbum. H. Nunc demum in memoriam uenit, illum itaque esse puto qui primus scripsit succum radicis Ferularum, oculorum claritati plurimum conferre. Verso diu, uersoq; etiam noctu libros Crinæ Maßiliensis medici. H. Illius fortasse Crinæ, qui ad syderum motus, ex Mathematica Ephimeride, Cibos ægrotis dabat, horarumq; momenta obseruabat, quiq; centum sestertia reliquit muris Patriæ extruendis? M. Illius certè, sed

Democratus

Castor

hic etiam habeo uolumen peregregium Cleophanti medici, qui uini rationem illustrauit, quique ante alios ostendit scemen Pastinacæ erraticæ dysentericis prodesse. H. O' te beatum, qui tibi tot præclara subsidia ad Medicinæ studia comparasti. M. Restant adhuc uisendi quàmplurimi celebres eius artis scriptores. Ingrediamur igitur interius conclaue, ubi multa inuenies uolumina Amythaonis, Melampodis, Archagati, Apollodori, Scylei, & Apollodori Tarentini. Restant uolumina Attali medici, Basilij Ancyrani, & Chrystoboli omnium doctißimi. H. Cuius nam Chrystoboli? M. Eius (inquam) cui tam insignem peperit laudem sagitta ex oculo Philippi Macedonis citra ullam oris deformitatem euulsa: de hoc sanè uiro meminit Curtius libro octauo de Gestis Alexandri Magni. Tero aßidue manibus Chrysermi scripta, eius dico Chrysermi, qui Bulbi radice in uino decocta, parotidas curabat. Hausi etiã doctrinæ plurimum ex doctißimis Dioclis, Dasy, & Glaucie scriptis. H. Sed ubi sunt Galeni docta uolumina? M. An non hic uides Galeni scripta, qui Traiani temporibus floruit, quem Auicena, Cæteriq; eius artis periti medicorum Principem appellant? Propè Galenum, adsunt Hermogenis medici scripta. H. Est ne ille Hermogenes qui Adriano Imperatori cum se uellet interficere, locum sub papilla circum scripsit, quo lætaliter percusso multo celerius expiraret? M. Ille est certè, quin etiam hic uides Lycum Nepolitanum, qui Attriplicem contra Cantharidas biben-

Chrystobolus

Chrysermus

Galenus

Lycus

dam censuit. Vides ne etiam Menecratis libros? M. Video sanè, sed nescio quis hic fuerit. M. Is fuit qui nullam mercedem accipere consueuerat ab his, quibus suam nauaret operam: curabat in primis sacrum morbum, ea lege atque gratia, ut ab eo seruati, se Iouem appellarent, ipsiusq; Mancipia se esse faterentur. H. Est ne is qui eò Vesaniæ peruenit, ut ad Agesilaum Regem in hunc modum scribere ausus fuerit. Menecrates Iupiter Agesilao Regi salutem: quam insaniam ridens & stomacans Agesilaus, respondisse ferunt: Agesilaus Menecrati sanitatem. Profectò si uelim omnes percensere libros, qui in mea sunt potestate, quosque possum ad meum arbitrium legere, totum hunc diem recensendo, absumerem, itaq; finem loquēdi hacde re faciam.

Menecrates

QVIBVS MORBIS, QVO'VE TEMPORE EXHIBENDÆ SVNT PVRGANTES MEDICINÆ.

H. Istud etiam opto intelligere post tam multa à me diligenter perquisita quibus morbis, quó ue tempore, purgantes medicinæ tuis exhibeantur ægrotis. M. Nec hoc facere me posse negauero. Scito itaq; his purgatoria (ut ita dixerim) medicamenta non exhibere, qui uehementi correpti fuerint febre quoad Febris remißior facta non fuerit: sin uero illud facere quis recuset, saltem non citra quartum decimum diem exhibebit. Eorum enim calida caro, calidusq; uenter medicamentum retrahit, nihilq; æger purgari potest. Tum profectò febris ardentior efficitur, color permutatur, fitq; totus qui

purgantes medicinæ quibus nō conueniant

ægrotat Auriginosus: etenim agitata bile minimeq; detracta, neque bibere, neque exorbere potest, quin potius auersatur omnia, & sæpe misere interit. Si uerò Medicina superior euadit, ante meridiem nulla fit purgatio, à meridie uerò fit immoderata quædam deiectio ac moritur: quod si superstes fuerit, unaq; cum purgatione febris remoueatur, facile conualescit: quam ob rem purgantia medicamenta in magnis febribus ore ne sumantur præcipimus: quin potius si sit opus, do operam, ut per Clistere inijciatur id multo tutius existimans: eadem ratione æstiuo tēpore, post ipsius caniculæ exortum, quinquaginta dierum spatio purgantem medicinam non propino. Sed Clisterijs uti semper soleo.

MEDICINÆ LAVS.

H. Postquam incendisti tu mihi animum sensus omnes inflammasti ad medicinæ amplexanda studia, gratum etiam mehercule feceris, si medicinæ laudes, ea qua semper soles facundia prædicaueris. M. Quid prædicem ego rem à tot præclaris ingenijs toties prædicatam. H. Recte tu quidem dicis, eiusmodi tamen medicina est, ut semper nouam quandam laudum suarum materiem ingenijs (etiam parum acutis) abunde suppeditet. M. Ego certe (ut ingenue fatear) ualde potius timeo, ne eximias eius artis dotes, summamq; amplitudinem quauis humana conditione præstantiorem sordida mea poßim oratione complecti, præsertim cum mihi sint nulli Rhetorum Fuci nullæq; amplificationum (ut ita dixerim) præstigiæ. H. Neque hisce rebus opus esse

iudico. Turpium enim est non pulcherrimarum rerum, ullis commendari lenocinijs. M. Sed quandò ita tibi uidetur Rex (ut potero) aggrediar, & explicabo. Omnes ferè Artes summo semper ob id, in præcio fuere, quod uitæ humanæ commoda quàm plurima attulerint, qua in re, medicina, tanto mehercule excellentior cæteris artibus semper extitit, ut illius uel authores, uel inuentores pro Dijs habiti sint. De Apolline, & Aesculapio eius filio nihil ego meminero. Sunt enim hæc (ut aiunt) nota Lippis, & Tonscribus: sed Asclepiadem testem aduocabo, quem Illyrici ueluti numen præstantissimum Herculi in honore adæquarunt. Nunquam profectò existimarunt ueteres posse ullum fideli & erudito medico satis dignum persolui præmiũ. E quidem cum animo nostro cogitamus quàm multiplex in humanis corporibus diuersitas existat, quotq; ex ætatibus, sexu, regionibus, educatione, ac studijs nascantur discrimina, medicinæ summam esse laudem quiuis facile intelliget. Etenim, si uitam alicui elargiri proprium est Dei munus, datam saltem tueri, aut celeriter fugientem retinere, non ne Diuini hominis esse fatebimur? quanquam id quod nos solius Dei proprium esse credimus, medicos etiam olim factitasse in ueterum monumentis quamsæpissime legimus. Quot enim ipsius Aesculapij Medici ope, ab orco in lucem redierunt? Quot exanimati comploratiq; ab Rogo Domum solis medicorum præsidijs, reuecti fuere? An non meminit Xanthus Historicus, Leonis Catulum occisum, hominemq; à

Dracone iugulatum herba quam Halin uocitant, uitæ mox redditum fuisse? non ne testis est etiam Iuba, simplici herba, quendam in Africa extinctum ad uitam fuisse statim reuocatum? Si quis uerò hac de re dubitare uelit, dicat is mihi, an non fere idem sit, mortuum restituere, & statim interiturum seruare? an non tu hanc Artium præstantißimam facile credideris, quæ ingruentem mortem nullo labore depellit, & quæ uitam subita ui oppressam, reuocat? Quot (quæso te) ante supremum uitæ diem sepulti fuere priusquam medicorum solertia morborum uires, & diuinam præsidiorum uim deprehendisset? Quot etiam hominum milia & nunc quidem uiuunt, rectéq; ualent, qui nec nati fortè & in lucem suscepti fuissent, nisi hæc nostra Diuina Ars, rectam obstetricandi rationem inuenisset nostræ: itaque arti uitam debere fateatur, qui nondum uitam accepit, dum per eam retinentur Aborsus, dumq; fœminis excipiendi, continendiq; seminis uis confertur, ac pariendi potestas elargitur: itaque Medicus non solum iuuat, sed etiam ueluti Deus quispiam mirabiliter seruat. Quis itaque tam ingratus unquam fuerit, qui medicinam (post Deum optimum Max.) Vitæ parentem, Tutricem, Seruatricem, & uindicem non amet, non dilaudet, non ueneretur, ac toto pectore non suspiciat? cuius præsidijs nulli non opus esse certò scimus, quod de alijs quidem artibus non ita profectò euenit: nam illis, nec semper, nec omnes egemus. Huius certe præcipua utilitate omnis mortalium uita constat. Fac enim tu

abesse morbos, fac omnes prospera ualetudine uti, qui poterit tamen illa omnia tueri, si Medicus ciborum salutarium, ac nocentium discrimen totiúsq; uictus rationem non edocuerit? Graue quidem onus est ipsa senectus, & fortasse (ut inquit ille) Aethna multo grauius, Medicorum tamen opera, uel serius, uel multo læuior solet nobis contingere. Nemo certè fuerit etiã abstinentiæ tam pertinax suasor, nemo etiam acrius suadebit ægroto Vitare Crapulam, temperate Venerem, moderari iræ, fugere tristitiam, & socordiam, atque ipse facit Medicus. Quis etiam efficacius suadet ægroto, ut si diutius optet uitam producere & maxime salutarem experiri medicinæ operam, ut prius animum à uitiorum colluuie repurget? nemo etiam medico bilem atram melius cominuit, labefactatas cordis uires reficit, cerebri spiritus fulcit, & sustentat, mentis Organa per purgat, ingenium expollit, memoriam recreat atque in meliorem statum totum corporis habitum commutat. Quæso te, suauißime Hortensi, quisquis Freneticum, Lethargicũ, Maniacum, Syderatũ, aut Lymphatum restituit, non ne uniuersum restituit hominem? Curat quidem Theologus, ut homines resipiscant, at Medicus efficit, ut ille præsto adsit qui possit resipiscere, quid suadebit Letargico Theologus, si suadentem non audiat? Quid permouere poterit Phreneticum? Si Medicus atram bilem prius non repurgauerit? Permultos certe homines calamitosa corporis temperatura etiam inuitos & reclamantes ad peccandum pertraxit. Animus quidem ui-

inter medicum & theologum c[omp]aratio

det. Animus audit, uerum ſi oculos occupet Glaucoma, & ſi aurium meatus craſſus humor obſederit nonne fruſtra uim ſuam exeret animus? O diſſe ſolet animus, & idem iraſci conſueuit, at uitioſus humor mentis Organa obſidens in cauſa eſt, ut odio aliquando proſequare, quem amore proſequendum merito iudices: adde, ut etiam naſcaris, cui fortaſſe non liceret iraſci. Philoſophiæ ſummam in hoc ſitam exiſtimauit Plato, ſi rationi parerent affectus ad quam ſanè rem, præcipuus adiutor ſolet eſſe medicus, illud ſedulo agens, ut ea pars hominis maxime uigeat, ſapiatq́;, cuius arbitrio, & poteſtate, ea omnia geruntur quæ cum aliqua tui nominis laude geri debent, ſed cur tu iuſsiſſe reris Diuinas literas medico ſuum deberi honorem, non ſolum ob eam utilitatem, quæ inde prouenire ſolet, ſed etiam ob multam neceſsitatem? Cogita mi Hortenſi, ſi omnino cupis medicinæ (ut ita dicam) Diuinitatem intelligere, cogita (inquam) à quo nam hominum genere primum exculta fuerit, inuenies tu quidem illam exercuiſſe Moſen, Orpheum, Homerum, Machaonem, Podalynum, & Peonem redigas tibi etiam uelim in memoriam Chriſtum ipſum, Diſciplinarum omnium & principem, & certum authorem, non Iureconſultum, non Rhetorem, non Philoſophum, ſed medicum ſe eſſe aliquando profeſſum. Etenim de ſeipſo loquens negat opus eſſe medico, ijs qui recte ualent, adde quod uulneribus oleum, ac uinum infuderit, & ſputum terræ mixtum, cæci oculos liniuerit, idem etiam hac una re, cum Orbi

ignotus eſſet, maxime commendari atque innoteſcere uoluit, ſeſeq́; in animos, & hominum affectus certis morborum remedijs inſinuauit. Cogita Diuum Paulum Vini uſum Timothæo tantopere adamato præſcribentem ad corroborandam ſtomaci imbecillitatem. Cogita etiam Raphaelem Angelum, Tobiæ cæcitati egregie medentem, & tum dices (ſat ſcio) O Cæleſtem uereq́; ſacram diſciplinam cuius præclaro cognomento Cæleſtes illas mentes inſigniri minime puduit. Vides ne in illis locis, in quibus boni florent medici, in ijs non tam crebrò offendi qui ſint Podagra contorti Paratyſi ſtupidi, aut qui ante tempus deßipiant, atque ante ſenectam cæcutiant. Hortatus es tu me, quidem, ut Medendi artem plena manum, plenoq́; ore dilaudarem, ſed tanta eſt ſuauißime Hortenſi ipſius argumenti ubertas, ut difficillimum iudicem, poſſe dicendi finem ullum inuenire. Etenim, ſi res permultas ſola commendauit Antiquitas, hanc artem primam omnium reperit neceßitas. Si ſcientiam ullam ullo unquam tempore Authores illuſtrarunt, huius inuentionem ſemper Dijs attributam fuiſſe legimus. Si quam authoritatem addere ſolitus eſt ſemel adeptus honos, non alia tam paßim ac tam diu Diuinos honores promeruit. Si magni fiunt quæ ſummis probantur uiris, hæc ſummos Reges, hæc Satrapas, non ſolum delectauit, uerum etiam illuſtres effecit. Si quæ difficilia ſunt, eadem & pulchra eſſe conſueuerunt, nihil hac operoſius, quæ tot diſciplinis tantarum que rerum perueſtigatione & uſu conſtat. Si di=

ubi plures sunt medi[ci] plures ad morbos.

gnitate, reni æstimamus, quid (obsecro) excellentius, quàm ad Dei benignitatem tam proxime accedere? Si facultate, quid potentius, aut efficatius, quàm totum hominem certo exitio moriturum, posse sibi quàm primum restituere? Si necessitate, quid æq; necessarium, atque id, sine quo nec uiuere, nec nasci etiam licet. Si uirtute, quid honorificentius, quàm seruare genus humanum? Si utilitate, nullius profectò usus, neque maior usquam esse conspicitur, nec latius unquam patuit. Si compendio, aut hæc in primis frugifera sit oportet, aut ingratissimi sint mortales omnes necesse est. Itaque tibi gratulor iucundissime Hortensi, quòd hæc præclara studia tantopere ames, teq; maxime hortor, ut ea toto pectore amplecti uelis, in eaq́; neruis omnibus incumbas: quæ tibi decus, gloriam, authoritatem, opesq́; magnas conciliatura sunt. Vale.

APOLOGIA MEDIDICINAE ADVERSVS EOS, QVI DE EA PARVM HONORIFICE, ET SENTIVNT, ET LOQVVNTVR.





SVNT Nonnulli, (*digni quidẽ, qui ex hominum numero exturbentur*) *qui medicinam artem eſſe negant, propterea quod priſcis temporibus nullo medicorum morbis ſolui, & implorato auxilio è grauiſsimis eripi ſoliti eſſemus, quod ego inficiari nullo modo auſim.* Attamẽ *fieri poteſt, ut medicinæ uberrimum quis percipiat fructum, medici nulla utens opera non ita tamen, ut quid in ea rectum exiſtat, aut non rectum non agnoſcat: nec ambigo, quin ita multi ſeipſos curare queant, ac ſi accerſitis medicis curarentur.* Præclarum *itaque iuditium hinc potius colligi poteſt, non ſolum* Medicinam *artem eſſe, ſed &* Artium *omnium præſtantiſsimam, propterea quod funditus illam tollentes maleuoli homines, eius tamen ope ſe ſeruari fatentur.* Etenim *neceſſe arbitror eos omnes, qui morbis impliciti ſunt, ac tandem priſtinæ ualetudini reſtituuntur, eam ob rem*

fuisse restitutos quod nonnulla omiserint quæ prius factitarent, aut posthac fecerint, quæ facere non consueuerant: necesse profectò est, aut inedia, aut largiore cibo, aut siti, aut balneorum ope, aut Vigilia, aut ocio, aut exercitio conualuissent qui ægroti erant. Auxilium itaque dum percipit, uim præsidij perspicue intelligit, sic & ex accepto damno, rem fuisse aliquo modo nocentem persentiscat necessum est: nam quæ iuuandi, quæ'ue lædendi uim habent, non cuiusuis hominis arbitror esse dignoscere. quapropter, si quid in ratione uictus per quam sanus factus est æger, aut laudare, aut uitio uertere uoluerit, omnia hæc ad Medicinam ipsam spectare facile agnoscet, nec certe ullo modo ambiguum esse uideo, quin offensiones non minus quàm adiumenta ipsa medicinam artem esse testantur adiuuantia enim recte administrata iuuerunt, & quæ suapte natura nocentia erant adhibita nocuerunt. Quis igitur tam perfricta fronte erit ut artem esse neget ubi rectum & non rectum existat? Illa nanque sunt quæ arte carent, in quibus nec rectum nec quod non rectum est deprehenditur, aut cum utrunque adesse perspicit, cur id non potius artis imperitiæ quàm artis ipsius operi non adscribit?

R E G I S T R V M.

A B C D E.

Omnes sunt Quaterni.

